THEATRVM
STATVVM
REGIÆ CELSITVDINIS
SABAVDIÆ DVCIS,
PEDEMONTII PRINCIPIS,
CYPRI REGIS.
PARS PRIMA,
Exhibens
PEDEMONTIVM,
Et in eo
AVGVSTAM TAVRINORVM,
&
LOCA VICINIORA.



AMSTELODAMI,
Apud Hæredes IOANNIS BLAEV.
MDCLXXXII.



PEDEMONTII

PRINCIPIS

SVADAE DAGIS


MANTVAM



Apud Hæredes IOANNIS BLAEV MDCLXXXII.







SERENISSIMO
PRINCIPI
CAROLO
EMANVELI
SECVNDO,
SABAVDIÆ,
CHABLASSII,
AVGVSTÆ, GEBENESII,
ET
MONTISFERRATI
DVCI;
PEDEMONTIVM,
ACHAIÆ, MORREÆ,
ET
ONELIÆ
PRINCIPI;
SALVTIARVM, SECVSIÆ,
ET
ITALIÆ
MARCHIONI;

ASTÆ, GENEVÆ,
NICIÆ, TENDARVM,
ET
ROTVNDI-MONTIS
COMITI;
VAVDI BARONI;
VERCELLARVM DOMINO;
FRIBVRGI, MARRI,
PRÆLÆ, NOVELLI,
MARCHIONATVS CEVÆ,
ET
COMITATVS COCONATI
PRINCIPI;
ET
VICARIO PERPETVO
SAC. ROM. IMPERII;
REGI CYPRI, &c.

SERE-

SERENISSIME

PRINCEPS,

PEtrus Damiani, Principum Oraculum, cùm ſexcentis antè annis Magnæ Adelaidi Sabaudorum Protoparenti Tutelarem providentiam gratularetur, Humbertum Sabaudum Cælo redditum, Pupillosque Principes, Regali Titulo, eorumque Ditionem merito nomine REGNVM appellavit. Nam quis humiliore vocabulo Regionem ſalutâſſet, quæ jam tum Allobrogici Burgundique Regni magnis partibus; ſummoque Italiæ Marchionatu; ac toto demum Cottii Regno, ultra citraque Alpes coaleſcebat? Quid igitur modò ſi reviveret, ipſumque reviſeret Regnum, cui poſtindè florentiſſima Longobardorum Regni portio, gemini Principatus, tergemini Ducatus, Maritimæ Alpes, & annexa Italiæ faſtigia, Cælique Columnæ, pulchriores denique Liguriæ, Inſubriæ, Provinciæque tractus abuſque Alpibus ad Apenninum, aſſiſtrice atque auſpice Tuorum ſtrenuitate cumulatim accrevêre? Non eſt ambigendum, quin graviſſimus ille Scriptor, æſtimato Terrarum, atque Honorum incremento, magnis hoc Regnum Regnis, magnis Te Regem Regibus eſſet æquaturus. Adde jam avita tua Regna omnium Regnorum ſpecioſiſſima, Beatam Cyprum, Nobilem Achaiam, Multiurbem Peloponneſum; quæ Regna, licèt, heu nimis diu, Othomano detrita jugo, Regali tamen adhuc Majeſtate, Titulis atque

Epiſt. ad Adelaid. Tu ſine virili REGIT *auxilio* REGNI *pondus ſuſtinet. Omnipotens Deus te, tuosque* REGES *ſcilicet indole Filios benedicat.*

Insignibus, integro plenoque Iure possidere pergis, tuisque rebus adnumerare. Nam violenta possunt arma quodcumque Regnum premere; perimere Regum Iura non unquam possunt. Quòd si Romani Pontifices in eisdem Regnis primæva Episcoporum Iura, Titulos, & Insignia retinere pergunt, ac distribuere: æquius profecto nihil est, quàm, si Pontificia Iura sustinere Pontifices student, Regalia etiam Reges tenacissimè tueantur: præsertim cùm Cypria Regna ab Regia Herede ad Sabaudos, adstipulante Pontifice, ritè solemniterque pervenerint. Ego verò quantus Rex sis, quantaque Regni tui latè fulgeat Majestas, una ex lacinia, levique vestigio omnibus subostendam, qui Subalpinas duntaxat Vrbes tuas ex ampliſſimo tuo Solo, in exiguam hujusce Codicis planiciem translatas, currente velint oculo peragrare. Nemo enim potentissimum Regem neget, cui tot, tamque nobiles Vrbes hæ, liberæ quondam Respublicæ, quæ contra Populos ac Reges acerrima perpetuò bella singulæ sustinebant, nunc tuo unius pacatissimo sceptro obtemperant universæ. Quis autem jucundo in hoc itinere non passim restitet, celeberrima miratus ea loca, quæ grandibus actis, vetusta, & penè obliterata literarum monumenta implevêre? Hic impervias in Italiam vias obstupescet; quæ gelu æterno velut adamante obseratæ non nisi calido Graiorum sanguine obtritæ sunt; vivumque nomen mortuis raptoribus rapuerunt. Ibi Herculea Clauſtra, quo peregrinus ille Monstrorum, hoc est Tyrannorum Mactator, non roboreæ Clavæ, sed aureæ facundiæ nodosa vi eluctatus,

non

non Vrbes rapuit, ſed corda. Alibi Penina Iuga, quæ aceto irritatis excocta facibus, curioſam Annibalis temeritatem exoculârunt. Hinc Liguſtica Regna, ubi Phariorum Ductor Phaëthon, meritas audaciæ pœnas irato tuo Flumini, citra fabulam luit. Illinc fatales Vercellarum Campos, ubi Cimbrici Populi, quorum Penates hauſerat Oceanus, dum deſperatâ vivendi rabie Itala populantur arva, Marianá falce demeſſi, ad arvorum fertilitatem ſuos cineres reliquêrè. Viſet geminas Vrbes, quibus immortale Pompei Magni nomen triumphali haſtâ infixum hæſit pro trophæo: geminasque alias Auguſti cognomine cluentes; ubi Alpinorum trophæa Victorem adeò laſſârunt, ut nobili opprobrio, contra Romanum morem, ſua Victis arma meruerint oſtentari. Viſet frementes adhuc Tanagri Vndas, quæ deletæ Pollentiæ vindices Alarici piaculum expiârunt: tantumque Gothici ſanguinis biberunt, quantum Italarum Gothi fuderant lachrymarum. Rurſumque Seguſinas anguſtias; & infauſti nominis Cinereum Montem, ubi Stiliconis execranda perfidia fugaces Alarici Reliquias in Italicam perniciem, parcendo provocavit. Tanta igitur cum voluptate legentium paſcentur oculi; ut perindè ſit Cisalpinas tuas Vrbes viſere, atque immemorabilis ævi redivivam Hiſtoriam legere: perinde paginas meas legere, atque ſedendo peregrinari. Iam verò ſi ſolidior Regnorum gloria Vbertas eſt: quamnam, rogo, Regionem uberioribus Natura lautiis muneravit? Sanè ſi cæteris Terrarum Orbis partibus Europa præſtat; Europæ Italia; hanc, quæ floren-

tiſſimum Italiæ latus ab Hiſtoricis vocatur, Regionum omnium eſſe beatiſſimam fatebuntur. Hic ornata floribus, onerata frugibus Tellus, non ſuos modò, ſed exteros abundè alit: eademque fœcundis Amnibus alitur, quos ubertim ſuo ipſa de ſinu fundit: quorum Princeps Eridanus, ſuis decantatus Oloribus, nobilium triginta Fluviorum argentea tributa exigens, Italiæ refundit; quaſi Fluviorum Rex ab Alpium Rege diſcat beneficentiam. Hîc tuis in rupibus foſſiles æris ferrique venas Natura condit, Ars promit, opportunam belligeris populis belli materiam. Ac ne opes deſint, belli nervi, pacis decora, Munificentiæ nutrimenta, hîc aureos montes ſaxeis montibus incluſit (theſauri quippè non eſſent, niſi abderentur) unde tamen lucida paſſim ramenta, divitemque glebam, furaces fluvii montibus furripiunt, incolis largiuntur; antiquam Romanorum Incolarumque diſſidiis illecebram, bellique ſcintillas. Teſtis Tua Eporedia, Sibyllino monitu inibi à Romanis condita velut Aurifodinarum ſpecula finitimos contrà Salaſſos, cùm Aurum Ferro, inter æquè rapaces diſputaretur. Itaque multorum fert opinio, nullam ditiorem eſſe Ditionem, nullumque Regum Sabaudo locupletiorem futurum, ſi ſuæ Telluris arcana velit altiùs perſcrutari. Niſi fortè magnanimis Principum animis Neroniani videatur ingenii, Matris viſcera ſcrutari ferro. Soli certè tuo ſolo debetur ea gloria, de qua Vatum Vates Italiæ plaudit, ac placet univerſæ:

Hæc etiam Argenti vivos Ærisque metalla
Oſtendit venis, atque Auro plurima fluxit.

Quid quòd Regiarum Ædium Veſtrarum provida Ædilis eſſe Natura eadem voluit; dum niveorum, atrorum, verſicolorum Marmorum magnificos ad ornatus, immenſam ſtruem comparavit: eademque ad Heroum Veſtrorum Lararium vivis Imaginibus replendum, lapides montibus, Lapicidis induſtriam dedit? Neque verò divitiis providentiùs, quàm deliciis ſtuduit benigna Parens. Nam cùm Subalpinis fœminis formam dedit omnium formoſiſſimam: tùm ad earum concinnitatem Phaëthonteas Arbores amœniſſima in Eridani Ripa educat, quæ non jam funebri mœrore, ſed effuſiore gaudio, Gemmas (ſi qua Vatibus fides) lacrymatur: atque (quod Vatum fide non eget) hîc operoſorum vermium nutrices aliæ Arbores, holoſericis geſtaminibus tanto luxu allaborant, ut Seres ipſi Eoïs ex arboribus depexa vellera, Pedemontanis minimè velleribus audeant comparare. Ac ne ſuarum munditiarum ſpeculatrices ſpeculo careant; hîc viliſſima rerum Aqua, algendo pretium adepta, præruptis in Alpium Tuarum ſcopulis tam pellucida & grandia Cryſtalla elaborat, ut magno periculo ex præcipiti petita, cariora ſint quia cariùs comparantur. Sed quoniam Regnorum laus ſolidior, ex Indigenarum laudibus floret; quæ Provincia, quæ Regio, memoranda majorum hominum cunabula oſtendet, vel militari Adoreâ illuſtrium, vel doctrinarum Laureâ celebrium, vel innocentiæ Aureolâ venerabilium (ut ex ſingularum Vrbium monumentis elucebit) quorum unusquisque ſingulatìm ad unumquodque Regnum decorandum ſuffeciſſet? Quid referam

tot Heroas quot Principes, qui perpetuò (quod rarum) & (quod rarius) non degeneri unquam ſtemmatè, cognatam ſtrenuitatem, ut in lampadum ludo Facem, à præceſſoribus acceptam ſucceſſoribus tradidêre? Atqui hæc demum Regnorum gloria eſt, Regum Virtus: nam Humano in Corpore Virtus omnis à Capite derivatur. Felices ergo Principibus Populi, Populis Principes! Nam ſi utrisque utrosque ad genium ſibi fingere divinitus permitterentur; neque Populus meliores Principes; neque Princeps meliores optare Populos poſſent, quàm quos à Natura veluti fortitò acceperunt. Quamobrem, ne iturientes oculos diutius morer; quid ego Tuæ tantæ, Tuique Regni felicitati apprecer; niſi ut ſupremus ille Regum Rex annuendo firmare velit, quod reciprocâ votorum concertatione, Tu Populis, Populi Tibi, ego omnibus auguror; nempe, ut iis qui laborem hunc meum, æquali affectu, majore ingenio continuârint, feliciora ſemper ſuppetant ad Sabaudorum Regum, Populorumque Hiſtoriam Argumenta.


Quæ meat Europæ generosa audacia fronti
Orbi argumento nobili indicat toti
Ex hac tranquilla Carolus quæ pace peregit
Sit quanta bellum si gerat, ipsa venit

IN EFFIGIEM
CAROLI EMANVELIS II.
SABAVDIÆ DVCIS, CYPRI REGIS.

BLanditer ferox, & ferociter blanda hæc Effigies,
Carolum refert; Bello natum, ut Pacem pareret.
Ipsa est, atque spirat. Sed nihil hactenus egisti Pictor.
Caroli Speciem expressisti, non Carolum.
Pinge Animum, si potes: Bellicum simul, & Pacatum.
Belligerum Natura fecit: Educatio profecit: Vsus perfecit.
Belligero Patre statim orbatus, Magnanimæ relinquitur Matri,
Vt Achillem institueret Phœnix.
Prima Caroli studia fuêre, Martem ne paveat, Mortem provocare:
Et mille per pericula, Virtutis suæ periculum facere.
Pinge, ut lethalibus Ferarum rictibus lætus incurrat Puer.
Vt indomitos in prærupta Iugales urgens, per invia Viam rimatur.
Pinge, ut cæcam in Voraginem cum Equo proruit.
Curtio glorioſior: involuntario sanè lapsu; sed animoſiore.
Nam clandestino à Torrente raptus, Equum raptans,
Sola Cordis Virtute timorem & undas eluctante,
Stupente Morte, impavidus enatat è Sepulcro.
Perge, Vt ferocem Eridanum, ferocior irridens Infans,
Phaethontis Regnum nactus, Phaethonti Præcipitium invidit.
Eodem loci: pari casu: dispari eventu, demersus.
Nam Fluviorum Princeps, Principem agnovit suum.
Itaque Populis verè lacrymantibus, Populi lacrymas risit:
Et Phaethontis Tumulo insultavit.
Toties Populo mortuus, & superstes: toties semivivæ Matri redivivus.
Hæc si pingis, mirus es Pictor.

II.

Tantæ igitur Virtuti, Territa Fata Victorias festinárunt.
Huic Tridinum, solo Supercilio expugnatum, cedendo cædem vitavit.
Hujus Auspiciis quassatæ Arces, vel redditæ.
Etiam quas nondum viderat, terrendo expugnavit.
Et Exteris omnibus exonerata Provincia respiravit.
Major sanè Meliorque Victoria,
Proprium recuperásse Regnum quàm alienum occupásse.
Iam pinge, ut Mœnibus decoras, tormentis horridas, reparat Vrbes.
Vercellas, Veneris Cellam olim, nunc Martis Arcem:
Vt Hospites alliciat, & Hostes arceat.
Exiguam, sed celebrem Verrucam, Hostium oculis infestam.
Quam Avus immunitam defendit;
Nepos ità muniit, ut sese ipsa possit defendere.
Iamque Augustam Metropolim, à Genitore auctam, Augustiorem parat.
Vt novo Naturæ Ordine, Regni Membra defendat Caput.
Hæc si pinxeris, dignum Carolo Pictorem voco.

III.

Post Bella, suaviùs pinge Pacis Amorem.
Ac Primum Pacis fructum, Conjugia.
Pinge ut Nuptialibus Corollis Lilia continuans;
Francâ Matre Auspice, Francam ducit Franciscam.
Illam dixeris Iunonem Pronubam, Hanc Heben, Hunc Herculem,

Ab Iunone connexos, Liliorum, ut produnt, Satrice.
Maximâ Populorum Lætitiâ: ideoque, heu, breviſſimâ.
Vnâ die, Nuptæ ac Pronubæ parentavit:
Et geminas inter Mortes, vix ſibi ſuperfuit.
Vix monſtrata Terris, in Cælum rapitur Auguſta Conjux.
Auroræ inſtar, fugit dum fulget; ut novo cedat Soli.
Dixeris alteram Conjugem in altera revixiſſe.
Ingenti fœnore: ut quod publicæ felicitati deerat, páreret.
Iam Pacatas inter Virtutes, omnium Antiſtitem pinge Clementiam.
Quæ gemini Conjugii, Regalisque Partûs, plauſibus excita,
Supplicia Supplicibus indulſit: & pœnitentiam imputavit in pœnam.
Tum Clementiæ Antiſtrophen pinge Iuſtitiam.
Quæ cùm Pacem bellicis adhuc infectam vitiis inveniſſet;
Et publicum Ius privata Vis ſuffocaret;
Inſignium Reorum Sanguine parumper diminuto,
Totum Regnum conſanavit.
Hæc ſi pinxeris, Ethicus eris Pictor Parrhaſius.


IV.

Pinge jam arcanum illud Auguſtale,
Vbi ſolus ſibi Achates: Conſilium ipſe ſuum & Conſul:
Quaſi per Ocium, ardua molitur Negocia.
Pinge, ut Geminos inter Reges, utriusque Gratiam ſervat, & libertatem.
Priſcoque Italorum Principum Amore integrato,
Firmiſſimam regno ſuo compágem figit, exterorum Concordiam.
Pinge, ut libero acceſſu, liberas Popelli querelas,
Humaniſſimè excipiat, ac ſeveriſſimè caveat
Ne minorum Patientia, Majorum potentiâ opprimatur.
Ac ſi coloribus pingi Verba poſſunt, Facundiam pinge.
Quæ ſine præceptore percepta, ſine libris innata Labris,
Auribus illabitur, illigat Animos.
Eòque ſe magis oſtendit, quòd non oſtentat.
Verè ut cenſeas ſuum Celtis Alcidem revixiſſe,
Catellis Aures aureis attrahentem.
Denique Virtutum maximam, Regumque maximè propriam pinge
Magnificentiam Munificentiæ Matrem, Filiâ puleriorem.
Hujus ſuaſu, Opes non optat, niſi ut Opem ferat.
Illius inſtinctu, publica, & maxima molitur Opera.
Fulgentibus primum coloribus Palatinæ rutilent Ædes.
Vt Rex è Regia, Regia ex Rege agnoſcatur.
Tum pari magnificentiâ Sylveſtrem pinge Dianæ Regiam.
Pacis Delicium, Belli Tyrocinium.
Vbi in Feros mittenda Tela experitur in Feras.
Quæ Caroli poſtes Rictibus ornaturæ, propriâ cæde ſuperbiunt.
Addito admirabiles Popularium Ludorum Apparatus.
Vbi vivax, vigens, acer, alacer;
Vel ad numeros pedem, vel in gyros Sonipedem flectens;
Ludicris in Certaminibus feria meditatur:
Et Hoſtibus illudit dum ludit.
Hæc ſi pinxeris Apelles eris, unius Caroli unicus Pictor.
Sed quorſum te moror?
Magna hæc geſta ſunt: ſed gerendis minora.
Suggero ego quæ vidi: ſuggerent alii quæ videbunt.
Me Fata præripiunt: Tu Grandioribus Miraculis pigmenta ſerva.

D. EMANVEL THESAVRVS.

NO.


Marie Jeanne Baptiste De Sauoye
Duchesse de Sauoye, Princesse de Piemont, Reyne de
Chypre &c. Turiee, et Regente &c.



NOMINI, FAMÆ, ÆTERNITATI,

MARIÆ IOANNÆ BAPTISTÆ

A S A B A V D I A,

Profapiâ, Formâ, Geftis,

I M M O R T A L I.

Religionis zelo, Maternâ Pietate, Sapientiâ Regiminis,

C O N S E C R A N D Æ.

Diligit Illam Deus,
Quam Avito in Solio collocavit,
Vt cum ea Virtutes omnes coronaret.

Hanc colit, & obfervat Filius,

Quem naturâ genuit Hæredem Regni,
Et fingit educatione Heroem.

Venerantur Subditi,

Quos in felici, & tranquilla Pace regit,
Dum vicinus Orbis igne, & ferro devaftatur.

Quæ

Regales inter Curas indefeffa
Grandi, Forti, Perfpicaci Animo,
Obfcura, intricata, operofa,
Illuminat, extricat, fuperat.

Quæ

Cuftodiam Legum
Difpenfationem Beneficiorum
Regni Majeftatem
Suaviter, juftè, magnificè tuetur.

Quæ

Perennibus Liberalitatis, & Magnificentiæ monumentis
In Populorum animis, in ære, in marmore impreffis,

Narrabitur Pofteritati Miraculum
Vt fui Sæculi celebratur Ornamentum.

A LA GLOIRE IMMORTELLE
DE
MARIE IEANNE BAPTISTE
DE SAVOYE,
Ducheſſe de Savoye, Princeſſe de Piemont,
Reyne de Cypre.

ETERNELLE
Par ſa Naiſſance, par ſa Beauté, par ſa Sageſſe.
Pieuſe Princeſſe, Bonne Mere, Parfaite Regente,
Aimée de Dieu
Qui l'a placée ſur le Trône de ſes Ayeux
Pour y couronner avec Elle toutes les Vertus.
Honorée de ſon Fils
En qui Elle forme un Heros digne d'Elle
Par la Royale Education qu'Elle luy donne.
Adorée de ſes Sujets
Qu'Elle conſerve dans le repos, & dans l'abondance
Pendant que le reſte du Monde eſt deſolé par la Guerre.
Qui
Ioignant une application infatigable
A la grandeur de ſon Ame,
A l'intrepidité de ſon courage,
Aux lumieres de ſon Eſprit,
Penetre tout ſans obſcurité,
Fait tout ſans ſe laſſer,
Surmonte tout ſans reſiſtence.
Qui
Sçait faire obſerver les Loix avec douceur
Partager les bienfaits avec Iuſtice,
Et regner avec Majeſté.
Qui
Gravant dans les Cœurs des Peuples
Sur le Marbre, & ſur l'airain
Des monuments eternels
De ſa Liberalité, & de ſa Magnificence.
Sera l'Admiration de la Poſterité,
Comme Elle eſt l'Ornement de ſon Siecle.

LE-

LECTOR BENEVOLE,

Pasce oculos ac simul admirare

Regiam Magnificentiam.

CAROLVS EMANVEL II.

ALLOBROGVM, & CYPRIORVM REX,

Avitarum Sabaudæ Domûs Virtutum & Regionum Hæres,

SABAVDIAM

Velocis Iustitiæ & Mavortiæ Virtutis antiquam Sedem,

Nec non

PEDEMONTIVM

Felix & Beatum Italiæ Latus

Possidens:

Cum PATRIÆ PATRIS nomen,

Paterno erga Populos suos amore mereretur, Provinciarum felicitatem,

A Regiis Prædecessoribus excultam, à Se magnificè adauctam,

Neminem latere voluit.

Qua propter Earum

FLORENTISSIMAS VRBES,

MVNITISSIMAS ARCES,

SVMPTVOSISSIMAS ÆDES,

AMOENISSIMAS VILLAS,

VETERIS ADMIRANDA ÆVI,

ET

PER INVIAS ALPES PATEFACTAS VIAS,

Æri incidi & descriptionibus illustrari

Mandavit:

IOANNES BLAEV, I.C.

Patriæ Reipublicæ Senator & Scabinus, Parens Noster,

Curam suscepit.

SED

Cum jam ad Finem properaret,

Satagens indefessos labores suos hoc Æternitatis Sigillo obserare:

Fatale incendium,

Nostro Privato & Publico Reipublicæ Litterariæ detrimento,

OPTIMI SENIS

Spem postremam quasi in cineres redegit.

Mors ejus dein subsecuta

Nos Facultatum & Laborum Hæredes

Perdita restaurare, conservata pro parte emendare,

Et omnia à carceribus fere redintegrare suasit.

Arduum Opus,

NI

REGIA CELSITVDO

MARIA IOHANNA BAPTISTA

DE SABAVDIA,

Pietate & Munificentiâ,

REGII CONSORTIS,

Heu! immaturo Fato Orbi erepti,

Voluntati insistens:

Et Benigno Favore conatibus nostris affulgens,

Optato citius, metam contingere dedisset.

Si Curæ nostræ

Regiam Munificentiam, & Mandata assecutæ fuerint,

Et Typorum nitor

IOANNIS GIOFFREDI Describentis illustrationem,

Ac

IOANNIS THOMÆ BORGONII Delineantis accurationem,

Proximo intervallo adæquaverit,

Omne tulimus punctum.

Vale Lector, & Regio Favori

APPLAVDE.

DIS-

DISSERTATIO
HISTORIAM SABAVDIÆ
EPITOMATAM EXHIBENS.

QVo tempore primam Atlantis noſtri Majoris Editionem parabamus, non tantùm documentis ad Deſcriptionem transitûs Alpium & Provinciarum Dominio Sabaudico ſubditarum neceſſariis deſtituti, verùm & ex parte veritati repugnantibus decepti fuimus; quapropter de rei veritate accuratiùs edocti operæ pretium duximus, ſingulari novoque de ea re volumine Publicum impertiri; atque inſuper utilitati ſimul & delectationi Lectorum conſulentes, Tabulis quæ inibi exhibentur, ſpeciem quandam Relationis Hiſtoricæ itidemque Geographicæ Deſcriptionis Provinciarum Sabaudiæ præfigere.

Memoriæ proditum eſt, Beraldum è Gente Saxonica Imperiali Principem, inſignium Rodolpho Burgundiæ Arelatisque Re- A. 1000.
gi præſtitorum officiorum præmium accepiſſe Sabaudiæ & Maurianæ Comitatus, quorum per ſeptem ſecula dominium ad poſteros ejus non interruptâ poſſeſſione continuatum eſt.

Hactenus triginta tres ejus numerantur Succeſſores, quorum nemo à deceſſore ſuo remotiore propinquitatis gradu fuit, quàm patrui nepotiſque, aut propatrui pronepotiſque; nec quisquam Agnatorum ſucceſſit, cujus parens non habuerit Ius Suprematûs.

Olim tamen Principes illi quanquam Ducatum Chablaſium atque Auguſtanum poſſidentes, non niſi Comitum titulo gaudebant. Quod cùm anſam daret quorundam ambitioni, ut novis A. 1416.
titulis per emptionem ſibi acquiſitis, ambiguam ipſis prærogativam dignitatis facerent, Amedæus VIII. quò eorum conatibus viam obſtrueret, Ducis titulum ab Imperatore Sigiſmundo impetravit; ſibique, quam in deceſſoribus ſuis indubiè agnoverant, prærogativam confirmavit.

Numerantur itaque XVIII. Comites à Beraldo ad uſque Amedeum VIII. & ab hoc XV. Duces ad Victorem Amedeum II. qui hodie feliciter rerum potitur ſub adminiſtratione Sereniſſimæ Matris Ioannæ Baptiſtæ de Sabaudia, quę omni inſpectante & admirante Europâ, ſummâ operâ adnititur, ut in perſona Sereniſſimi Filii redivivam Avorum virtutem, & gloriam Majorum repræſentet.

Cæterum nescio utrum magis mirandum sit, quòd tantus numerus Principum Serenissimam familiam non interruptâ serie in tot secula produxerit, an quòd à Pietatis, Clementiæ, Iustitiæ, Fortitudinis & Magnanimitatis gloria degenerem ne unum quidem ex iis Censura repererit, aut cujus nomen illustre aliquod Epitheton posteritati non commendaverit.

Adjecerunt autem avito Serenissimæ Gentis patrimonio etiam alias complures Provincias, sive munificentiâ Imperatorum, sive spontaneâ submissione populorum, vel jure successionis acquisitas: neque enim armis, licèt toties victricibus, ditionum suarum accessionem debent, eò quòd victoriæ præmium in gloria potiùs, quàm in emolumento, ponerent.

Sed & sociis atque amicis persuppeditata auxilia defendendis, quàm provehendis limitibus, magis intenti, non modicam sæpenumero gloriam reportaverunt. Vnde aperto Marte congressos videas pro Pontificibus Romanis, & Imperatoribus; pro Regibus Galliæ, Hispaniæ, Angliæ; indubiam parti, cui se junxerant, palmam facientes. Præcipuum verò virtutis fortitudinisque eorum Theatrum Oriens fuit: ad quem gesserunt res uti factu inimitabiles, ita dictu incredibiles. Crux alba Insignium, cum Symbolo FERT, tam celebri in torque Ordinis Equestris, etiamnum illustria sunt Expeditionum transmarinarum documenta. In monu-
A. 1315 mentis sanè Rhodi Insulæ, atque urbis Constantinopolis frequens sit Amedeorum duorum mentio, quorum alter auxiliaribus copiis Insulam obsidione liberavit: alter Iohannem Palæologum Imperatorem solio reddidit, debellato, qui eum captivum detinuerat, Bulgariæ Rege.

Tot præclarè gesta Amedeus VIII. tiarâ coronavit; Princeps sui sæculi prudentissimus fortissimusque, ex cujus arbitrio tam bellorum quàm Tractatuum tum temporis momenta componebantur. Postquam didicerat contemnere mundum, quem antea in admirationem rapuerat, secessit in solitudinem Ripaliensem, quò procul à turba, & quod supererat vitæ ex præscripto Ordinis S. Mauritii, quem ipse fundaverat, curarum aulicarum vacuus transigeret. Verùm dissidiis inter Concilium Basileense & Eugenium IV. Pontificem coortis, acerbabantur cousque animi, ut Pontifex Concilium dissolveret, Concilium Pontificem abdicaret. Opus itaque fuit Amedei prudentiâ, quæ Ecclesiam à naufragio imminente liberaret; Hic, consentientibus Concilii suffragiis electus, invitus ad Pontificatum trahitur; nulloque alio fine se muneri illi submittit, quàm ut Ecclesiæ revocaret concordiam,

diam, quam illi reſtituit, dum quantò glorioſiùs fuerat electus, tantò generoſiùs Pontificatui renunciat. Ludovicus ab ipſo genitus duos procreavit filios, quorum alter in Sanctorum numerum referri, alter Coronam Regni Cypri adipiſci meruit. Sanctus fuit Amedeus IX. qui per vitæ ſanctitatem à ſolio transiit ad Altaria, ubi communibus populorum votis honoratur; Rex verò Ludovicus, qui ducta in matrimonium Carola Luſignana herede Cypri, Inſulæ illius Rex, Nicoſiæ quæ regni eſt Metropolis, coronatur. Fatendum quidem eſt brevem illam & quaſi momentaneam fuiſſe poſſeſſionem, quâ, ambitione & fortunâ Iacobi fratris naturalis uxoris ſuæ prævalente, decedere coactus fuit. *A. 1459.*

Carola regno exuta Romam confugit, ibique fatis conceſſit.

Succeſſit ei Carolus I. Sabaudiæ Dux jure tàm donationis quàm proximitatis, titulumque, inſignia & Coronam Cypri aſſumpſit, eaque ad hæredes transmiſit. *A. 1487.*

Inter eos Carolus, cognomento Bonus, multis fortunæ injuriis exagitatur, & nunc ab Imperatore Carolo V. affine, nunc à Franciſco I. Galliarum Rege nepote ſuo impetitur, à quo potiſſimâ ditionum ſuarum parte exutus, fortunæ novercantis malignitatem tantâ conſtantiâ tulit, ut magnus in eo animus ubique eluceret; præterquam quòd calamitates ipſius filio Emanueli Philiberto viam paraverint ad gloriosè recuperanda à Parente infeliciter amiſſa, quod ipſum effecit prœlio famoſo ad S. Quintinum & ſubſequente Transactione Caſtelli-Cameracenſis.

Carolus Emanuel I. in monumentis ſui temporis hiſtoriarum omnem paginam implet, poteſtque aſſeri extra adulationis notam, in puſillo ejus corpore omnem Magni Alexandri fortitudinem, quamvis non omnem fortunam, reſediſſe. *A. 1553.*

Victor Amedeus & Carolus Emanuel II. tot Heroum ſucceſſores non degeneres; quorum primus judicio omnium, quibus id honoris datum erat, ut ipſi ſervirent, eumque noſcerent, ſui temporis Politicis & Ducibus bellicis omnem præripuit palmam; alter opportuniſſima loca, quorum hîc Ichnographias exhibemus, munimentis cinxit, gloriæ ſuæ perpetuò duraturæ monumenta.

Filii quoque natu minores Regiæ hujus domûs egregiam ex Virtute ſua famam conſecuti ſunt.

Thomas, qui Apennagii titulo poſſidebat Comitatus Maurianenſem & Pedemontanum, etiam per uxorem Comes Flandriæ & Hannoniæ fuit; ejusque nepos Philippus Principatus Achaiam & Moream acquiſivit ductâ in matrimonium Iſabellâ Hardovi- *A. 1237.*

na,

A. 1301. na, eorum herede; eumque titulum transmisit ad posteros suos, quorum Ludovicus improlis decedens heredem instituit Amedeum VIII. Sabaudiæ Ducem.

Philippus Comes Gebennensis Caroli Boni frater, in Galliam
A. 1418. à Francisco I. Nepote suo allectus est, factusque ab illo Dux Nemoricensis. Ab hoc originem traxêre Illustrissimi Duces Nemoricenses, decus insigne Aulæ Gallicæ, ex quibus tot fortissimi prodierunt Exercituum Gallicorum Duces. Illustrissima hæc familia nostro ævo adeò gloriosè extincta est, ut majorem vix habitura fuisset gloriam, si diutiùs floruisset: Asseri siquidem potest, eam semetipsam exhausisse, dum quicquid ipsi supererat virium applicat ad formandum duas egregias Principissas, quarum una Regina est Lusitaniæ; altera Ducissa & Administratrix Sabaudiæ, quæ studio heroico, & nobilissimis pro Republica laboribus amorem consocians literarum bonarumque artium, hujus operis efformandi, promovendi atque ad finem deducendi curam singularem gessit.

Dicendum igitur est Serenissimam Sabaudiæ Domum non minori Principissarum quàm Principum Virtute clarere. Et sanè sive respicias eas quæ ex ea ortum traxêre, sive eas quæ in eam per Connubia transiêrunt, fatendum est, clarissimis omnes virtutibus enituisse. Adelaidis Segusii heres, mater Amedei II. subjectum est elegantissimarum Cardinalis Petri Damiani, ipsi synchroni, literarum. Fuit illa cum Mathilde Comitissa Mediatrix, cujus ope-
A. 1077. râ pax inter Gregorium VII. & Imperatorem Henricum III. in Castro Canossæ restituta fuit; Bonna Borbonia, Blanca Montisferratensis, Yolanta & Christiana Francicæ, diversis temporibus Sabaudiæ Administratrices fuêre. Verùm ut longâ earum enumeratione supersedeamus, sufficiat dixisse, Imperatorum, Regum Galliæ, Hispaniæ & Lusitaniæ familias sæpenumerò Sabaudiæ Ducissas dedisse, sicut vice-versâ Sabaudia Imperatrices & Reginas numerosè subministravit.

Sabaudiæ Duces Coronam gestant clausam, gaudentque Titulo Regiæ Celsitudinis, quo Regibus proximè accedunt & ab inferioribus Principibus Suprematu gaudentibus distinguuntur; sed & aulam alunt regiam, in qua habent Cubicularium magnum, magnum aulæ Magistrum, magnum stabuli Præfectum, nobilesque Cubicularios, & alios magno numero sibi inservientes.

Custodia Corporis eorum ordinaria, sive Prætoriani milites, quinque sunt Cohortium equestrium, sub Capitaneis suis, Locumtenentibus, & Signiferis, ex primariis Provinciarum illarum fami-

familiis, & unius Cohortis centum Helvetiorum, cum Legione una peditum.

Præter iſtas cohortes Prætorianas, & præſidia Sabaudiæ & Nicææ ordinaria, Sabaudiæ Dux bonam adhuc alit copiam tam equitum quàm peditum, ad tuenda loca & ad ſecuritatem ditionum ſuarum. Equites duorum ſunt agminum, quorum unum ex Sabaudis, alterum ex Pedemontanis conſtat, ſub quibus & Cataphracti comprehenduntur. Vnumquodque horum agminum habet ſuum Archiſtrategum, ejus Locumtenentem & Commiſſarium Generalem. Peditatus ex undecim Legionibus conſtat, junctâ Prætorianâ legione, quæ primas obtinet. Huic præficiuntur Generalis Locumtenens & Mareſcalli quidam Campi.

Rei tormentariæ bellicæ duo ſunt Armamentaria, alterum in Sabaudia, alterum in Pedemontio, quorum utrumque ſuum habet Præfectum magnum. Habentur inſuper Cohortes civicæ, inſtitutæ ab Emanuele Philiberto, quæ duo efficiunt agmina non contemnenda, alterum equitum, peditum alterum, ſed utrorumque optimè armatorum, bellandi peritiâ præſtantium, & ad ſingula momenta accingendorum. Prædictus Princeps ſibi & ex maritima potentia famam acquiſivit, augendo numerum triremium ſuarum, optimè omnium quæ Mediterraneum mare verunt, inſtructarum, & quæ memorabili prælio ad Inſulas Echinadas non modicum gloriæ acquiſiverunt.

Sed & largiſſimi reditus pares ſunt ferendis ſumptibus, quibus ille ſplendor ſuſtinetur, copiæque militares adeò numeroſæ aluntur; nihilominus difficilè foret eorum rationem inire, quoniam pro ſtatûs exigentia nunc augentur nunc verò diminuuntur; præſertim cùm tanta ſit Provinciarum fertilitas & tantus ſubditorum erga Principem affectus (ut ajebat Carolus Emanuel I.) ut quicquid ipſi libeat ab illis obtinere poſſit.

Regimen eſt omninò Monarchicum, reſidetque Suprematus in ſola Principis auctoritate, abſque ullo Parlamento, ullo Statuum Conventu: & quamvis Sabaudiæ Duces ſint Principes Imperii Romani, non ideò minùs Suprematu gaudent, à quorum Dicaſteriis ad Cameram Imperialem aut aliorſum non datur Appellatio; tantumque abeſt ut qualitas illa Principum Imperii obſit Sabaudiæ Ducibus, ut etiam illis facultatem ſuppeditet thronum Imperialem conſcendendi.

Iuſtitia per Ditiones eorum adminiſtratur per tres Societates, qui Senatuum nomine veniunt; Primus eſt Sabaudiæ, reſidens Camberii; ſecundus Taurini; tertius Nicææ; adde Dicaſterium

erectum à Regia Celsitudine Maria Ioanna Baptista de Sabaudiâ in Civitate Annessienſi. Magnus Cancellarius Caput est Iustitiæ, honoratissimum in Aula Sabaudica locum obtinens & Equites Ordinis præcedens.

Patrimonium Principis & ærarium per duas Cameras Rationales administrantur, quarum altera in Sabaudia est, altera in Pedemontio; constantes ex Præsidibus Rationum Generalibus, Auditoribus, Rationalibus, Patrimonialibus aliisque minoris notæ Officialibus.

Filius Domûs Sabaudicæ natu maximus solet gaudere titulo Principis Pedemontii agente inter vivos patre; natu minores à successione excluduntur, dato ipsis Apennagio Conditioni eorum respondente: Filiabus verò omnem successionis spem præcidit Lex Salica omni ævo inviolabiliter observata.

Ordinum Equestrium tria sunt genera; Annunciationis, Sancti Mauritii, & Sancti Lazari.

Amedeus VI. dictus *Viridis*, primum instituit sub titulo Torquis Anno supra millesimum trecentesimum sexagesimo-secundo; Carolus Bonus addidit imaginem Annunciationis, cum quindecim rosis encausto ornatis quarum septem albæ, septem rubræ, & quæ in inferiori parte residet ex utroque participat, interfusæ fasciis Amoris, & discriminatæ per quatuor literas FERT, quæ ita explicantur: *Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit*. Equites hujus Ordinis primum in aula post Principes Consanguineos locum obtinent.

Ordo Sancti Mauritii autorem laudat Amedeum VIII. in solitudine Ripaliensi, Anno MCCCCXXXIV. sub nomine Equitum Eremitarum S. Mauritii Sabaudiæ Patroni. Insigniuntur Cruce albâ trifoliatâ, cui Emanuel Philibertus adjecit crucem S. Lazari coloris viridis, redigendo in unum duos illos Ordines juxta Bullam Gregorii XIII. Pont. Max. Anno MDLXXII. à quo tanquam Magnus Ordinis Magister investituram omnium Commendariarum, in Hispania & Italia abinde pendentium, accepit.

Cæterum omnia hæc præclarè gesta & tanti nominis Principes non nisi perfunctoriè delineavimus; neque enim in animum induximus concinnare Sabaudiæ Historiam, cui elaborandæ plura vix volumina sufficerent; satis habentes generalem cognitionem Principum, quorum Dominia describimus, tradidisse, atque eò amplius Tabulam eorum Genealogicam Tabulis ditionum Geographicis addidisse.

PRIN-

TABLE GENEALOGIQVE DE LA ROYALE MAISON DE SAVOYE

DEDIÉE A M.R MARIE IEANNE BAPTISTE DE SAVOYE
Ducheſſe de Savoye Reyne de Chypre, Regente &c.

Witechind le Grand

Humbert

Amé I

Pierre

Humbert II

Adelaide

Agnes

Humbert III

Agnes

Amé IV

Beatrix

Thomas III

Philippe

Marguerite

Edouard

Philippe

Marguerite

Amé VII

Amé VIII

Amé

Amé IX

Charles

Iolande-Louise

Philibert II

Adrian Jean Amé

Charles Emanuel

Philippe Emanuel

Louise Marie

Victor Amé II.

Duc de Savoye Chevalier Anglic Grand Maistre de Nostre Ordre Prince de Piemont Duc d'Aoſte de la Roche et d'Aumale Marquis de Suſe de Saluces de Ceve et de Oneglie Comte de Nice Apt. et Tende Seigr de Vercel Faucigny Duc Marquis de Ivrée Duc égal et Maistre Prince et Souverain perpetuel de l'Empire Roy de Chypre &c. né le 14. May 1666. et Regne Auguſte d'heureuſement par la Regence de ſon Alteſſe Royale Madame reconnuë avec l'Admiration de toute l'Europe a trouué en la Profonde de ſon fils toutes les Vertus et la Gloire de ſes Ancêtres

PRINCIPATVS PEDEMONTANI DESCRIPTIO.

Pedemontii Nomen.

PEdemontium, regio Italiæ totius nobilissima, fertilissima, & amœnissima, nomen habet à sex circiter tantùm sæculis usitatum: erat siquidem olim veteris planæ Liguriæ, dictæ postmodum Galliæ Cisalpinæ, atque Togatæ, dein, post Longobardorum adventum, Lombardiæ, portio, quam Montisferrati, Astensis tractus, Langarumque, uti vocant, colles, atque Alpium Maritimarum, Cottiarum, Grajarumque præcelsi Montes mediam claudunt. Quoniam verò nunc, tam idem Astensis tractus, Comitatusque, quam potissima Langarum pars Sabaudiæ Ditioni accessit, totum id Pedemontii nomine intelligimus, uti accipi vulgò solet, quod ab Austro, Occasu, Boreàque rigant præter alia minora flumina, Tanarus, Gegius, Sturia, Macra, Grana, Veraita, Fluviorum Rex Eridanus, Pellex, Sangonus, Duria Riparia, Sturia altera, Orcus, Duria Baltea, à quibus totidem fermè Valles, quæ in plana Oræ Pedemontanæ ducunt, cognominantur, Cervus insuper, Sesitesque, ubi Pedemontana à Mediolanensi disjungitur Ditione. Regionis itaque totius longitudo centum viginti passuum millia excedit, latitudo ad nonaginta circiter computatur, habetque confines, ad Ortum, Insubriam, quam nunc Ducatum Mediolanensem vocant, ad Austrum Ligusticos Montes, Comitatumque Nicienſem: ad Occasum Delphinates, ad Septemtrionem denique Centrones, nunc Tarentasios, atque Veragros, quos dicunt Vallesianos.

Termini Veteres.

& Hodierni.

Fluvii.

Regionis Longitudo.

Latitudo.

Confinia. Hodierna.

Tales nunc statuimus terminos Pedemontio, licet majorum nostrorum ævo, uti superiùs indicavi, strictioribus arctaretur cancellis, Monteferrato scilicet, Astesio, Langis, Alpibus, Salassorumque superiorum, qui modò audiunt Valdostani, confiniis. *Antiqua.*

Primi regionis hujus habitatores fuisse creduntur Vmbri, Etrusci, Ligures, deinde Galli, postquam, Brenno, & Bellovesо Ducibus, Italiam insederunt, Galliæque Cisalpinæ nomen ejusdem Italiæ parti potissimæ, ac florentissimæ, ei nimirum, quæ Solem spectat occiduum, indiderunt. Hanc porrò, de qua loquimur, regionem diversi inter se populi, nominibusque discreti, terrarum portionibus divisis, incoluerunt. Vbi etenim Pedemontana Ora obvergitur Orienti, Ligusticisque subjacet Montibus, inhabitavere Ligures Statielli. His, inter Tanarum, & Padum fluvios, successere Vagenni, seu Bagienni. Taurini à Pado ad Duriam ripariam, atque inde ad radices Alpium suos habuere terminos. Salassis in infernos, supernosque divisis, atque utràque Durià inclusis, ea cessit regio, quæ nunc Canapitium, Vallisque Augustana dicitur. Demum Libici, Lebui, aut, ut quidam vocant, Lebetii, eam tenuere Oræ Subalpinæ partem, quæ Vercellensi, Bugellensi, finitimisque agris, ac Durià Balteà, Sesiteque fluminibus terminatur. *Habitatores primi.*

Abundat verò tota in universum regio, non modò in circumpositis Montibus auri, argenti, æris, ferrique metallis, copiosa in memoratis fluminibus exquisitàque piscatione, delicatissimis ad mensarum delicias volatilibus, Principibusque reservatà quadru- *Pedemontii fertilitat.*

drupedum ferarum venatione; verùm etiam gignit quidquid est humanæ necessarium vitæ, frumentum imprimis, vinum, oryzam, legumina, olera, genus pomorum omne, arborumque frugiferarum; cannabem præterea, linum, silvas cæduas, pabula, vitulinas, bovinas, pecorinas, nec non diversæ speciei altilium carnes, tantà copiâ, ut ii, quos Pedemontanum solum producit fructus, & incolarum, exterorumque usui, nec non alendis persæpè integris exercitibus satisfecerint.

Hinc fit ut antiquissimos, ut dixi, frequentissimosque habuerit Patria Pedemontana habitatores, ac non paucæ numerentur in eadem Civitates, atque Oppida, non modò nunc exculta, celebriaque, sed etiam veteris ævi Scriptoribus non incognita. Horum ut nonnulla recenseamus, occurrit primo loco Taurinorum Augusta, nunc *Torino*, Pedemontii totius Metropolis, ac Regia Ducis Sabaudi Sedes; Eporedia, *Ivrea*; Vercellæ Libicorum, *Vercelli*; Augusta Prætoria, *Agosta*; Asta Pompeja, *Asti*; Alba Pompeja, *Alba*; Segusium, sive Secusium, *Susa*; Careja Potentia, *Chieri*; Augusta Bagiennorum, *Benne*; Ceba, *Cena*, Caput nobilissimi quondam Marchionatus; Verricium, Antonini Itinerario memoratum, *Varrez*; Bardum, expugnatu perquam difficile Castellum, claudens totum Vallis transitum Augustensis, *Bardo*; Ocella sive Ocellum, extremus olim, Cæsare, atque Strabone testibus, inter Cottii Regnum, atque Italiam Romanis parentem Galliæ togatæ Provinciam terminus, *Usseglio*, locus ex Lancei Valle ducens in oppositam Mauriennam, quâ Romanos ex Italiâ Galliam adeuntes, breviori scilicet viâ, transisse credimus, antequam Cinisii Montis jugum, ut nunc fieri solet, frequentaretur; Cottia, *Coazze*; Salatiæ, *Salassa*; Caristium, *Cairo*; Mons Iovis, *Mon-Jouet*, arduus, atque prægrandibus lapidibus à Romanis rerum dominis stratus in Valle Augustæ transitus; Pollentia denique, florentissima olim Urbs prope Tanarum fluvium, *Polenzo*: hæc tamen, excidium à Barbaris passa, suis jacet ruinis obruta, adeò ut pauca ibidem priscæ magnificentiæ vestigia discernantur. Quæ hactenus memoravimus, etiamnum nota loca: non item alia, quæ etsi Pedemontii finibus assignentur, tamen ubi præcisè sita fuerint, est incertum. Hujusmodi sunt Forum Julii, quod extitisse fama est Augustam inter Taurinorum, Salutiasque; Forum Vibii, non longè à Padi exortu; Iria, Antiliaque, de nomine tantùm notæ.

Urbes antiquæ.

Urbes nunc nomine tenus notæ.

Inter has Pedemontii cognitas veteribus Civitates, Taurinorum Augusta, Vercellæ, Asta, Eporedia, Augusta Prætoria, Alba Pompeja maturè Christi edoctæ fidem, Cathedrâ illustratæ fuere Episcopali. Eodem privilegio, sed posterioribus sæculis, Monsregalis, Salutiæ, ac Fossanum donatæ sunt. Cæterum cum totius quondam Pedemontii Antistites (quod ad spiritualem jurisdictionem attinet) Archiepiscopo Mediolanensi subessent, cœpit primum ab eo divelli Augusta, quam modò dixi, Prætoria: nam, cum in postremorum Burgundiæ Cisjuranæ Regum dominium devenisset, ejus Præsul propterea factus est Tarantasiensis, cui adhuc subest, Archipræsulis suffraganeus. Taurinensis verò Episcopus ab anno M D XV. jure Metropolitani gaudet, atque Eporediensem, Monteregalensem, Fossanensemque habet Episcopos sibi subditos. At cæteri Pedemontani Præsules suffragium ferre pergunt Archiepiscopo, uti antea consueverant, Mediolanensi, excepto Antistite Salutiensi, qui à Romano tantùm Pontifice dependet immediatè.

Civitates Episcopales antiquæ.

recentiores.

Taurinensis Episcopus Metropolitanus.

Præter Episcopales, habet Pedemontium Civitates alias, hujusmodi à Principe titulo insignitas, quæ, Civitates idcircò Ducales nuncupatæ, sui amplitudine, populi numero, nobilitatis Civium suorum splendore, atque ædificiorum nitore valeant Cathedralibus ditionum exterarum plerisque æquiparari, quin immò nonnullis absque dubio præstent. Hujus-

Civitates Ducales.

modi

modi sunt Cherium, Savilianum, Carmagnolia, Cuneum, Pinerolium, & Bugella: quibus addi possunt Segusium, Mons-Calerii, Ceba, aliaque frequentissima Oppida, utpote Clarascum, Garretium, Bagenne, Braida, Demontium, Draconerium, Busca, Rupellum, Raconisium, Summaripa de Bosco, Rippulæ, Aviliana, Villafranca, Iavenum, Bargiæ, Podium, Varini, Cabalarium majus, Carinianum, Vigonum, Monscalvus, Lanceum, Clavasium, Crescentinum, San-Germanum, Liburnum, Tridinum, Andurnum, Ciriacum, Sancta Agatha, aliaque similia, quæ longum esset enumerare. Hæc inter omnia Carolus Emanuel, Dux hujus nominis primus duodecim elegit, sive Civitates, sive primaria Oppida, quæ, uti adhuc sunt, Provinciarum Capita constitueret, ac Præfecturarum Sedes, ut faciliori viâ jus totius Pedemontanæ Ditionis populis diceretur. Ea esse voluit Taurinum, Eporediam, Astam, Vercellas, Montemregalem, Salutias, Savilianum, Cherium, Bugellam, Segusium, Pinerolium. At, cùm ex his, postremò nominatum Pinerolium, Gallorum nunc tentum præsidio, demptum esset; Victor Amedeus Primus, ejusdem Caroli Emanuelis filius, & successor, ejus loco noviter acquisitas, in Montisferrati Ducatu, Albæ, Tridinique Provincias addidit: Augustâ Civitate, ejusque Ducatu inter has minimè computatâ, utpote quæ gaudet peculiaribus legibus, atque consuetudinibus.

Præfecturarum Sedes.

Augusta Civitas.

Non omittendum, pleraque horum loca, omni bellico apparatu instructa, cum præsidio custodiri, ut hostiles, si quando aggrediantur, impetus procul arceant, publicamque firment securitatem. Militum itaque stipendia merentium non contemnendus numerus excubare consuevit Taurini, Vercellis, Astæ, Eporediæ, Monteregali, Salutiis, Cunei, Cebæ, Clarasci, Crescentini, Verrucæ, Villænovæ, Bardi, Verricii, alibique, ubi Castra, Arces, Acropolesque, arte, naturâque munitissimas, diversis temporibus solers Principum, in tuto res suas ponentium, providentia struxit. Alba, Tridinum, S. Agatha, quibus olim militaris inerat manus, jubente Carolo Emanuele II. Duce, fuere non ita pridem suis, magnâ ex parte, nudatæ munitionibus. Superfunt verò minoris nominis quamplurima alia Oppida, Castella, Pagi [ad mille circiter, omnibus computatis, ascendere perhibentur] partim aperta, partim muro septa, sibi intervallo modico succedentia, unde factum est, ut Pedemontium, non Regionem, sive Provinciam, sed Civitatem unam esse tercentum millia passuum suo circuitu ambientem, quis inter exteros agens Pedemontanus, rogatus, quid Pedemontium tandem esset, jure potuerit affirmare. Hinc ex solius Subalpinæ Ditionis Subditis uberrimus provenit Duci Sabaudo census: verissimumque, quod Dux Carolus Emanuel I. Henrico Quarto Gallorum Regi percunctanti, quantum ex Sabaudiâ Pedemontioque quotannis in ærarium suum conferret, respondisse fertur scilicet, se ex Sabaudiâ quod posset, ex Pedemontio verò, quicquid vellet percipere.

Munitionibus nudatæ.

Minora Oppida, Castella, Pagi.

Civitates præsidio munitæ.

Age verò, quoniam de Principatus hujusce situ, antiquitate, opibusque in universum locuti sumus, aliquid de peculiaribus singulorum eundem inhabitantium populorum rebus, tum de eorundem moribus, præstantiâ, religioneque dicamus. Taurinensem agrum finitimi ad Orientem coronant colles, ubi in Villis ad amœnitatem naturâ, arteque factis habent Cives, quo urbanas procul amandent curas: ibi Palatia sumptuosa; ibi ludentes in fontibus, pratis, viridariis, silvis, vineisque deliciæ. Astensis, Salutiensis, Segusinusque districtus, mirum quantum vino abundet generosissimo, quantâque copiâ omnis generis fructus gignat. Vercellis panis candidissimus, pinguissimorumque altilium abundantia est in pretio: oryzæ etiam, aquarum à Durià Balteâ derivatarum beneficio, circumstans regio

Singulorum districtuum commoda & reditus.

maximam ad exteros vim transmittit. Carnes, caseosque, à Placentinis, uti formâ, ita & sapore parum absimiles, Tridinenses suppeditant. Cannabis, linumque uberrimum Canapitio nomen fecit. Fossanensis, & Savilianensis ager frumenti electi est feracissimus. Monsregalensis, Cuneensisque vicinia, præter vinum, triticique genera plura, habet ex jugi canalium ubique discurrentium humectatione, pascua lætissima, castanearumque felicissimè crescentium arborum proventum ingentem. Cebano vino, caseolisque nihil magis gratum, ac exquisitum. Raconisiensium, Braidentiumque sericeâ ubertate nil copiosius.

Pedemontanorum indoles & mores.

Quod ad Pedemontanorum attinet mores, licet ob rerum à nativo solo provenientium copiam, nonnihil alicubi desidiâ torpescere, indulgereque gulæ, ac genio plus nimio videantur, tamen in universum sunt æquè ad arma literasque idonei, præsertim, si, Patriâ relictâ, alio pergere non graventur. Cæterùm de benignitate in exteros, de hospitalitate, de animi hilaritate, de obsequio, fidelitateque in Principem, de religione denique in Deum, ac superos maximè commendantur. At verò cum suas peculiares quæque natio habeat maculas, hisce virtutibus sua quoque vitia sunt admixta. Taurinensibus, ut à dignioribus incipiam, sicuti aulica frequentatio urbanitatem in agendo, atque in loquendo affabilitatem jam pridem conciliavit; ita, cùm æstus nonnihil ex nimio exterorum contubernio hauserint, parum præ cæteris candidi sincerique audiunt. Cherienſium garrulitas, Bugellensiumque animos celantium diuturna simulatio in proverbium abiere. Inter Montisregalis Cives viguere diu, quæ nostris temporibus conquievisse videntur, factiones, jugesque, cum frequenti sanguinis effusione, discordiæ. Salassi superiores, seu Valdostani, utpote quibus infrequens est cum exteris conversatio, de rusticitate vulgo culpantur, atque modicâ rerum experientiâ. Inter Vallium Cuneensi Salutiensique vicinæ adjacentium incolas, quamplures stolidi, stupidi, & inepti, quibus guttur ut plurimum excrescens auget, quam mirari transeuntes sæpè contingit, deformitatem. Vercellensibus, Tridinensibusque objicitur otiositas. Nec carent suis virtutibus, & culpis peculiaribus fœminæ, Taurinenses imprimis, quæ, licet de hilari consuetudine, de naturali facundia, de nitore, ac munditia celebrentur, parum tamen res domesticas curare, familiæque studium in totum dicuntur relinquere viris suis, ipsis interim nonnisi ornando corpori, mutuis visitationibus, jocisque operam dantibus.

Taurinenses ad studia & mercaturam quondo alacriores facti.

At hæc fortassis non omninò ubique vera: hoc certum, Taurinensis Vrbis habitatores, ex quo Carolus Emanuel Secundus diversos ad eam ex cunctis Europæ partibus Artifices advocavit, evasisse ad Palladis, Mercuriique exercitia alacriores, magisque industrios, atque laboriosos. Sericeam verò iidem curavere, bombicinamque præsertim texturam, atque distractionem; quod idem Raconisii, Cariniani, Cherii, alibique per Pedemontium usuvenit. Annuæ in singulis ferè Oppidis nundinæ, atque hebdomadaria mercimonia, cum magno incolarum commodo census incremento, rerumque ad vitam necessariarum importatione, frequentantur. Cæteris celebriores olim erant Astenses nundinæ, ad quas ex cunctis fermè Europæ partibus Mercatores conveniebant: eæ tamen ex aliquot annorum lustris ab antiquâ frequentiâ exciderunt.

Nundinarum frequentia.

Studia Literarum.

In literarum, sive Equestris militiæ studiis, juventus nobilis ut plurimum exercetur. Literis verò in Pedemontio propagandis conferunt maximè, præter Vniversitates, Collegiaque scientiarum à Principibus instituta, supremi Senatus, atque Cameræ, quam Computorum vocant, Augustæ Taurinorum pridem erecta tribunalia, ad quæ totius Provinciæ recursus, appellationesque ultimæ de-

vo-

devolvuntur, ad capessendos honores, Magistratuumque calcandam viam legum Professoribus præsens incitamentum. His accessit novissime, sub auspiciis Mariæ Ioannæ Baptistæ Sabaudiæ Ducissæ, Cypri Reginæ, humaniarum literarum, excultissimis referta ingeniis Academia, expoliendæ inter cætera utrique operam navans linguæ, Italicæ, Gallicæque, ubi certâ hebdomadæ cujusque die convenitur, ut de rebus literariis fiat sermo, Musarumque inventa promoveantur. Hunc cœtum cum eadem Ducissa simul cum Victore Amedeo II. Duce ejusdem Nato Dilectissimo, præsentiâ suâ persæpè dignata sit, ut audiret summos Viros ibidem eloquentissimè differentes, eosque magnis donârit præmiis, mirum, quantum hoc animos Nobilium, præsertim Regiam frequentantium, ad literarum studia inflammârit.

Academia sub auspicio Mariæ Ioannæ Baptistæ Sab. Duc. erecta.

Equestris Academia.

Equestria exercitia, præter ingenitam ad ea cum laude capessenda Pedemontanæ Nobilitatis aptitudinem, bellicæque aviditatem gloriæ singularem (unde ex Nobilibus, inferiorisque etiam notæ, non pauci, penes suum, sive externos Principes militantes ad primarios gradus militiæ evaserunt) equestria, inquam, exercitia quammaximè de cætero promovebit excogitata à Carolo Emanuele II. Duce, Regia verè nobilissimarum artium altera Academia, eique ab eodem Duce sumptuosissimi moles ædificii, quod memorata Ducissa ad finem perducere satagit, destinata. Conveniunt ad eam, ex Sabaudicâ non modo ditione, verùm etiam ex aliis undequaque Provinciis nobilitate conspicui adolescentes, artem equitatoriam, gladiatoriam, saltatoriam, delineatoriam, Historiam, Arithmeticam, Mathematicas denique omnes scientias edocendi.

Pedemontanæ Nobilitatis multitudo & præstantia.

Cæterùm, si quæ alia eam meretur laudem Provincia, numerosissimam, præstantissimamque Pedemontana regio alit nobilitatem, numeranturque ibidem familiæ plures, quæ à Regibus, summisque Principibus originem ducere gloriantur: unde fit, ut nulli alii in totâ Europâ Regiæ Aulæ concedat Ducis Sabaudi Aula; ea est Procerum frequentia, corporum venustas, incessûs gravitas, servorum, equorum, atque auro, argento, gemmisque renidentium vestium splendidus apparatus, quoties egredientis Principis latus stipant.

Pedemontanorum Religio.

Quod ad Religionem spectat, licet finitimi Lucernates, atque Angronienses, ex nonnullis sæculis, ritibus Catholicis valedixerint, Valdensiumque primùm, postmodum Calvinistarum Hæresim sint amplexi; licet etiam siti in Alpibus non procul positis Delphinates, falsisque dogmatibus magna ex parte imbuti, Duce Francisco Bona Digueriarum Duce, in subalpinam persæpè infesti excurrerint regionem, Pedemontani tamen nullam aliam, nisi Catholico-Romanam profitentur Religionem, nec ulla Secta, aliave vivendi norma per edicta suorum Principum, qui fuere semper Fidei Catholicæ propagandæ studiosissimi, toleratur. Avitum porrò Religionis cultum satis superque probant supra triginta in Pedemontio opulentissimæ Abbatiæ, præter Prioratus complures, Equestrium S. Ioannis Hierosolymitani, Sanctorumque Mauritii & Lazari Ordinum, in Commendam solitæ conferri, Præceptoriæ, aliaque, magni momenti reditus suppeditantia, plurima Ecclesiastica Beneficia. Insunt præterea omnium fermè in Dei Ecclesiâ militantium utriusque sexûs Religiosorum, opibus amplis donata Cœnobia, Templa, Sacella, Xenodochia, Orphanotrophia, Montes pietatis, aliaque Deo dicata loca, non in Vrbibus, Oppidisque modò, verùm in agris etiam frequentissima, ad exercitia spiritualia peragenda. Ad hæc Ecclesiasticorum Sacramentorum frequentatio, eleemosynarum in eadem loca pia & pauperes elargitio, atque ergà incruentum Missæ Sacrificium, sacrosanctamque Eucharistiam pia affectio, atque obsequium singulare, satis etiam ostendunt, quàm rectè de Deo sentiant. Hoc unum hoc loco

Abbatiæ.

Prioratus.

Præceptoriæ.

addendum non ita facilè dicì posse, quàm sint liberales Pedemontani in Stipe pro Missis celebrandis Sacerdotibus erogandà, quo argumento ad comprobandam animi eorum sinceram fidem nullum est efficacius. Atque hæc habuimus, quæ de Pedemontanis in universum diceremus: reliqua, quæ peculiares cujusque Civitatis, sive populi res concernunt, suo quoque loco sub propriâ Locorum Descriptione, inferius explicabimus.

DUCHÉ DE GENEVOIS

BARONNIE DE FAUCIGNY

CONTÉ DE

TARAN

TAISE

PEDEMONTIVM

Et reliquæ Ditiones Italiæ

REGIN. CELSITVDINI SABAVDICÆ

Subditæ

Cum Regionibus adjacentibus

LOMBARDIA

CONTADO

MARE

MEDITER

RANEUM.

AVGVSTA TAVRINORVM.

Situs.

AD Padi Fluviorum regis, Duriæque Ripariæ confluentes, ab Alpium Cottiarum radicibus septem circiter passuum millibus, eo scilicet loco, quo, post superata Cinisii, Ianive Montium juga, ex Gallia, per Subalpinam regionem, est transitus in Italiam, sedet Taurinorum Augusta, inter Vrbes clarissimas meritò computanda. Quod ad ejus initia, originem, nomen attinet, ne certis incerta admisceamus, ac ne (quod de Romæ, Carthaginisque conditoribus passim legimus) fabulis demus locum, id tantùm, Plinio teste, novimus, Taurinos antiquam Ligurum stirpem creditos: nec vero absimile, à Tauro, quem insignibus suis olim apposuerunt, retinentque adhuc, denominatos. Hanc Vrbem Annibal Pœnorum Dux, dum infesta ferret contrà Romanos signa, quòd volens in amicitiam non venerat, expugnavit, tantusque ex ejus unius excidio, utpote ceteras inter fortissimæ, accolis circumpadanis injectus terror, ut, Polybio, Livioque narrantibus, dedere se ultrò cuncti Annibali venienti meditarentur. Postquam illam Cæsar jure Latii in Dictaturâ donasset, Iuliamque, deductâ eo loci Colonià nominasset, Octavius in Imperio successor, de cognomine suo, Taurinorum Augustam dixit, quo eam nomine Ptolemæus, Plinius, aliique veteres appellarunt. Hinc apud Philibertum Pingonium, ac Ianum Gruterum, antiquarum, quæ ibidem in marmore prostant, Inscriptionum exscriptoribus memorantur.

Plin. l. 3. c. 17.

Origo. Nomen unde.

Polyb. l. 3. Liv. Dec. 3. l. 1.

Colonia Romana.

Antiquitas.

IVLIA AVGVSTA TAVRINORVM.

IVPPITER CVSTOS AVGVSTÆ TAVRINORVM.

P. RVTILIVS AVG. TAVRINORVM PROCONSVL.

Ping. Aug. Taur. fol. 95. 96. Gruter. fol. 160. 168.

Innotuit quoque Taurinorum Augusta Tacito rerum Romanarum ab Augusti morte scriptori: memorat siquidem, Vitellio imperante, Legionariorum inter se militum jurgiis Augustæ Taurinorum cædem ortam; ac non multò post, discedentibus iisdem inde militibus, partem Taurinæ Coloniæ fortuito, ex relictis ignibus, incendio conflagrasse.

Tacit. Hist. l. 2.

Augustæ Taurinorum Domini.

Postquam diù Romanis, florente Republicâ, ac stante Imperio, paruit, tandem, Barbaris Italiam, atque Galliam pessundantibus, Gothorum primùm, dein verò Hunnorum, Erulorum, Burgundionumque jugum subire coacta est, à quibus afflicta diversimodè, dirutaque, angustioris est demum ambitûs mœnibus instaurata. Ad Langobardos, ut transiit cum reliquâ Galliâ Cisalpinâ, Sedes unius è quatuor præcipuis totius Langobardicæ Ditionis Ducatibus est effecta: quo tempore, Taurinensium Ducum nonnulli ad Regni Italici solium evaserunt; inter quos Agilulphus, qui unà cum Theodolinda uxore, Divo Ioanni Baptistæ Christi Præcursori Cathedralem, nunc Metropolitanam Basilicam, uberrimis ditatam proventibus, excitavit.

Deleto per Carolum Magnum Francorum Regem Regno Langobardorum, imperasse videntur Taurinis Secusini Marchiones, ad custodienda Alpium claustra, continendosque Subalpinos in fide populos, ab eodem

Carolo, ejusque Succeſſoribus cum poteſtate gladii conſtituti. Qui cùm id regimen ex vicario proprium, hereditariumque factum ſibi paulatim aſſeruiſſent, Taurinenſis Civitas in omnimodam fermè eorundem, tanquam Romani Imperii Beneficiariorum, poteſtatem redacta eſt, quousque defuncto circa annum reparatæ Salutis 1032. Olrico Manfredo poſtremo Secuſinorum Marchione, celebratisque Adeleidam inter ejus Natam, ac Oddonem Maurianæ, Sabaudiæque Comitem nuptiis, ad Sabaudos Principes, qui ex eo matrimonio continuatâ ſerie prodierunt, hereditario jure pervenit, eisdemque, quamdiù per bellicas rerum viciſſitudines licuit, hucusque paruit. Quamobrem, etſi jam anno 1147. Amedeum III. Sabaudiæ Comitem Otto Friſingenſis Marchionem appellaverit Taurinenſem, ortis tamen non multò poſt inter Fridericum Primum Cæſarem cognomento Ænobarbum, atque Vmbertum Tertium Sabaudorum Comitem, qui contra Schiſmaticos ejusdem Friderici aſſeclas Romanæ Eccleſiæ præſto erat, diſſidiis, ejus Vrbis, totiusque fermè Diœceſis dominium temporale ab irato, parumque æquo Imperatore in Antiſtitem Taurinenſem, Cæſarianarum partium ſtudioſum, translatum eſt. Hinc factum eſt, ut, cùm Civium, avitum jugum excutere cupientium, præſidio, atque Monferratenſis Marchionis, latè in vicinia dominantis, auxilio, atque viribus retinere male partum jus Præſul niteretur, cruenta hinc indè bella, cædesque diuturnæ exortæ ſint. Thomas tandem hujus nominis III. Sabaudiæ Comes, captivato, dum per Delphinates, ex Hiſpaniâ redux, transiret, Gulielmo, qui ſibi maximoperè adverſabatur, Monferratenſi, rebusque in integrum reſtitutis, Vrbem ſibi, poſterisque ſuis, quâ Principibus Achaiæ, quâ Comitibus, Ducibusque Sabaudiæ addixit, obſirmavitque. Verùm, cum eam Galli, vigente Franciſci I. Regis contra Carolum V. Cæſarem, atque Carolum eognomine Bonum Sabaudiæ Ducem ejusdem Cæſaris Levirum, odio, poſt annum 1536. occupaviſſent, Emanuel Philibertus Dux, prædicti Caroli Ducis Filius, pace ſub finem anni 1562. interveniente, non modò recuperavit, verùm etiam ſui, ſuorumque Succeſſorum ſedem primariam, attentâ ſitûs oportunitate, delegit. Ab eo tempore nullas de cætero fuit experta clades, præter eas, quas, exorto, poſt obitum Victoris Amedei Primi, Sabaudiæ Ducis, Civili bello, pati coacta eſt, ex iteratâ, quam hoc loco narrare nequaquam juvat, brevitasque vetat, obſidione.

De geſt. Frider. I. Imp. l. 1. c. 44.

Vrbis deſcriptio Iconographica.

Ambiebatur hæc olim Civitas quadratis operis priſci muris, quos ad certa ſpatia Turres firmiſſimæ tutabantur. Interiorem aream viæ quadrifariam ductæ interſecabant, quæ quatuor Portis, ſeſe è regione reſpicientibus, reſpondebant. Hæ dicebantur, ad Orientem Padana, quæ poſteà à Caſtro ibi proximè ædificato accepit nomen: ad Occidentem, Turrianica, poſteà, uti etiamnum dicitur, Secuſina: ad Septentrionem, accepto ab Auguſti Palatio, cujus adhuc ibidem viſuntur reliquiæ, nomine, Palatina, à Duriâ fluvio, qui non procul labitur Duriana: quarta ad Auſtrum, Marmorea. Ex his ſuperſunt Secuſina tantùm, & Palatina, reliquæ ampliatâ, ut mox dicemus, Vrbe, unà cum muro dejectæ ſunt. Quatuor perampla ſuburbia Vrbi extrinſecus accedebant: nec deerant in iis pleraque, quâ ſacra, quâ profana, elegantia ædificia. Verùm hiſce ornamentis à Gallis priore, quod dixi, ſæculo ſpoliatam, memoratus Emanuel Philibertus Dux aptiùs munivit, exornavitque, expugnatu difficillimâ ad angulum Occidentalem, pentagonicæ formæ, à fundamentis Acropoli excitatâ quam Citadellam vocant, addito in medio interioris areæ umbilico, admodum profundo mirandæ ſtructuræ puteo, ad quem abſque ullo mutui occurſûs, recurſûsque impedimento, deſcendere abunde potatum poſſunt, aſcen-

ascendereque, non homines modò, verùm equi etiam magno numero.

Vrbis Ampliatio per Carolum Eman. I. per Victor. Amed. I.

Vrbem ampliarunt Regii Successores, Carolus Emanuel hujus nominis primus, & Victor Amedeus itidem Primus, Duces, novo murorum ambitu ad Austrum ducto, excitatàque ibidem Portâ Victoriâ (vulgus appellat Novam) unde ad Regium usque Castrum longissimus Palatiorum æqualiter fastigiatorum ordo in admirationem rapit introeuntes: undè etiam extrinsecus tres in diversum viæ Regiæ aperiuntur, qua de re, peculiari, suo loco, agemus descriptione.

per Carolum Eman. II.

Amplissimam verò fecit is, quem nimis properè extinctum dolemus, æternumque dolebit Orbis, Carolus Emanuel II, qui, quâ erat animi magnitudine, non modò in tota, tam ultramontana, quàm cismontana ditione, ædificatis arcibus, positis pontibus, perviis factis montibus, ductis aquis, ornatis portubus, stratis viis, structis Palatiis, Templis, Basilicis, innumera reliquit suæ magnificentiæ argumenta: verùm id eò magis in Metropoli sua aggressus, laxatis ad Solem orientem spatiis, atque ad Padi usque ripas fermè prolato muro, septem Vrbem auxit Regiis propugnaculis, additâ forinsecus profundissimâ, latissimâque undecunque fossâ; unde factum, ut eam, quæ priùs angusta videri poterat tanti Principis majestati, Augustæ nomen non dedeceret. Tantum verò opus (quod vix cuiquam credibile videatur, quod universus jure miretur Orbis) anni unius spatio incipere potuit, & perficere: ac, ne rei cunctis sæculis memorandæ auctorem posteritas ignoret, damus duplex, quod ad Septentrionalem Portam, quâ ex Regiis viridariis in imam descenditur fossam, in appositis hinc inde tabellis marmoreis incidi placuit monumentum. Earum una hisce fuit signata notis.

CAROLVS EMANVEL II.
ALLOBROGVM DVX, CYPRI REX,
CÆTERA DITIONE FIDIS ARCIBVS COMMVNITA,
IPSVM DITIONIS COR, AD SVI CORDIS EXEMPLVM,
NON SOLVM MVNIT, SED AMPLIAT.
NAM QVI SVA SECVRVS POSSIDET,
HOSTILIA SECVRIVS INVADET:
ET AMPLIOR, QVO PRESSIOR,
INFESTOS INFESTABIT.
DIE XXIII. OCTOBRIS
ANNO M. DC. LXXIII.

Altera verò sic habet.

AVGVSTAM TAVRINORVM,
TRIVMPHALI CÆSARIS AVGVSTI MAGNIFICENTIA
MAXIMIS ITALIÆ VRBIBVS ÆQVATAM,
TVM DIRO GOTHORVM SÆCVLO SÆPE DIRVTAM,
SEMPERQVE ANGVSTIORE SPECIE RENATAM;
AD PRISTINAM AVGVSTI NOMINIS AMPLITVDINEM RESTITVERE
CAROLVS EMANVEL PRIMVS VOLVIT:
VICTOR AMEDEVS MAGNA EX PARTE POTVIT:
CAROLVS EMANVEL SECVNDVS,
MAGNI AVI COGITATVM, ET MAXIMI GENITORIS INCEPTVM
NON DEGENERI ANIMO EXPLETVRVS,
ADSPIRANTIBVS DEIPARÆ VIRGINIS AVSPICIIS,
AVGVRALEM HVNC LAPIDEM IACIT.
DIE XXIII. OCTOBRIS ANNO A VIRGINEO PARTV
M. DC. LXXIII.

Porta Padana à Maria Ioanna Bapt. à Sabaudia perfecta.

Hæc pro tempore ad lateralem, nec patulam semper Portam. Ne verò illi quæ ad Orientem & Padum, in ipsâ Vrbis totius fronte sita, plus cæteris frequentatur, ea deessent quæ idem Princeps morte præventus addere non potuit, ornamenta, vastæ in primis molis columnæ, atque hinc inde ab imo ad summum disposita marmorea simulacra, Phaetontis in Eridanum lapsi, Sororumque in populos transformatarum; decantatam Poetis fabulam repræsentantia, Maria Ioanna Baptista à Sabaudia, licet ex Regii Conjugis præmaturo occasu Vxor desolatissima, uti Regali verè magnificentiâ, Magnifico maximè omnium Principi parentavit, ita in eam maximoperè intendit curam, ut quæ ille animo conceperat, ad exitum perducerentur. Perficiendis igitur sumptuosissimis ad Padanam Portam additamentis postremam admovere paravit manum, testante id ipsum eâ, quam anno 1676. supra eandem Portam, majoribus characteribus sculptam legere datum fuit, Inscriptione hujusmodi:

AVGVSTAM AD ERIDANVM PORTAM,
A CAROLO EMANVELE II.
VRBE INTRA ANNVM SEPTEM PROPVGNACVLIS AVCTA,
INCHOATAM,
MARIA IOANNA BAPTISTA A SABAVDIA,
VT QVAM MORS CONIVGI RAPVIT GLORIAM REDDERET,
VNDEQVAQVE ABSOLVEBAT.
M. DC. LXXVI.

Ædific. cia publica.

Nec verò, dum mœnibus ampliatur, cessatum est à struendis intrinsecus, tam in vetere Vrbe, quàm nova (his enim Civitatis partes nominibus distinguuntur) diversis, quà profanis, quà sacris in decus, atque ornatum publicum ædificiis, de quibus ne omnino reticescere videamur, operæ pretium fuerit, notatu digniora, quæ passim occurrunt, sin minùs immorando, saltem indicando, percurrere.

Acropolis.

Omissâ igitur eâ, de quâ jam superiùs dictum, inferiùsque sub propria figura dicetur, positâ ad Occidentem Acropoli,

Regale Castrum.

eminet ad Orientem Regale Castrum, quatuor operis antiqui munitum Turribus à Thomâ II. Sabaudiæ Comite: auctum à Ludovico Achaiæ, ac Pedemontii Principe: nec non à Carolo Emanuele I. Duce, atque à Christianâ Francicâ ejusdem Nuru, dum pro Carolo Emanuele II. Filio, tutorio nomine ditionem regeret, multipliciter exornatum. Ornabatur verò non ita pridem, inter

Ejus Pinacotheca.

cætera, spatiosissimâ Pinacothecâ (Itali Galeriam vocant) undique conquisitis omnis generis voluminibus, manuscriptis præsertim Latinis, Græcis, Hebraicis, aliorumque peregrinorum idiomatum, instructissimâ; nec deerant non priùs visa, quadrupedum, avium, reptantium, piscium, testarum exsiccata corpora, picturæ, cælaturæ, sculpturæ, textrinæ, figlinæ, armaturæ denique, ac, ut uno verbo dicam, naturæ artisque opera rariora. Verùm cùm illa anno 1659. fortuito incendio, ex magnâ parte conflagrasset, in ampliorem, augustioremque formam, addito longo magnæ molis columnarum, statuarumque ordine, prope Equestrem, quam dicemus, Academiam, eandem cœpit à fundamentis Carolus Emanuel II. ædificare. Castro, Regiæ quondam Principis sedi, succedit ad Boream, amplius, ornatiusque recentioris structuræ Palatium: inter utrumque verò, Forum, Castelli Platea nuncupatum, quo amplius in totâ non ita facilè videas Italiâ, Galliâve. Ibi non modò militares exercentur ad disciplinam, verùm etiam ludicræ concertationes

Exusta anno 1659.

à Carolo Emanuele II. denuò extructa.

Castelli platea.

ad

ad Principis, populique oblectamentum. Supereſt aliud è regione Metropolitanæ Baſilicæ Palatium perquam amplum, alendis olim Regiis Natabus deputatum, quas Infantes Hiſpanico vocabulo nominabant. Non procul, eiusdem Forum Baſilicæ altero ſumptuoſiore Palatio ornaretur, quod, ex ſecto marmore, elaboratâque omnino architecturâ Victor Amedeus I. ibidem excitare exorſus eſt, niſi mors præpropera eius offeciſſet abſolutioni. Ex averſâ hujus parte, Regia longo ordine ſtabula; iisdemque ad Orientem ſuccedentia Regia viridaria: tum nova, quam paulò ante memoravi, Pinacotheca, atque huic ad Auſtrum hærens, Equeſtris Academia, tantæ amplitudinis, atque in tot atria, aulas, concamerationes, aliaque hujusmodi ædificia ingenioſiſſimè diſtributa, ut, ſi ſuprema accedat manus (acceſſiſſet jam certè, niſi Auctoris ſui ante triennium, dum hæc ſcribimus, fato ſublati interitus obſtitiſſet) non ita facilè parem in totâ Europâ ſit habitura.

Palatium Metropolitanæ Baſilicæ.

Regia ſtabula, & viridaria. Nova Pinacotheca.

Equeſtris Academia.

Præter illud, quod dixi, cæterorum ampliſſimum, Forum Caſtri, alia ſuperſunt nequaquam prætereunda. Illud in primis, de quo ſuperiùs memini, à Metropolitano, cujus foribus ſubeſt, Templo, dictum *Piazza di S. Giovanni.* Sequitur Forum, ante Vrbani ædes Palatii, olitorium piſcariumque, ubi ad humanæ vitæ neceſſitatem, delitiasque proſtat venale quidquid alicubi ferme gentium invenitur, tantâ copiâ, ut vix aliud Italia habeat pluribus refertum gulæ irritamentis. Ornatur verò, præter Vrbanum, quod memoravi, Palatium, Turri publicâ, quam ſuo loco peculiariter deſcribemus. Succedunt Forum vinarium, Acropolim inter, ac Civitatem: Emporium, *Piazza del mercato*, aliàs *Piazza Reale*, ubi, ſtato in hebdomadâ quâque die, diverſarum rerum mercimonium frequentiſſimum: Carolinum denique Forum, *Piazza Carlina*, marmoreo, in centro, fonte, Magnatumque, ad octangulum Palatiis, in ampliatæ ad Orientem Vrbis areâ, exornandum. Superſunt, ſive ab eodem Carolo Emanuele in auctiorem commodioremque redacta formam, ſive à Mariâ Joannâ Baptiſtâ Vxore, ad præſcriptam ab eo methodum, abſoluta, pro Supremi Senatûs, Regiarumque Rationum Curiâ, Carceribus, Armamentariis, Monetali officinâ, aliisque hujusmodi, ædificia perquam magnifica, ac ſumptuoſa. Nec omittenda extra Portam Palatinam, ſupra Duriæ ripam ſita, uno omnia ſimul loco, plus quàm quatuordecim Molendina, in quotidianæ trituræ commodum, ære publico ingenioſiſſimè fabricata. Quoniam verò de Duria incidit ſermo, non erit abs re, etiam illud hoc loco addere, ita opportunè ejusdem fluvii partem, opere arcuato intrà mœnia derivari, ut, non modò rigandis urbanis cunctis, ſuburbanisque non paucis hortis abundè ſufficiat, verùm etiam mundandis viis, refrigerando per æſtatem aëri, arcendoque igni, ſi domos ex improviſo adoriatur: ne quid dicam de iis quibus multipliciter inſervit, Cœmentariis, atque Opificum Officinis.

Molendina.

Duriæ intra mœnia derivatio.

Piazza di S. Giovanni. *Forum olitorium, piſcariumque.*

Forum vinarium. Piazza del mercato, *vel* Piazza Reale.

Piazza Carlina.

Quod ad ædificia, atque officia ſacra ſpectat, decem numerat intrà murorum ſepta populo frequentiſſimas ædes Parochiales. Has inter primum locum obtinet Metropolitana Baſilica, Divo Ioanni Chriſti præcurſori, à Langobardorum uſque, ut ſuperiùs attigi, temporibus conſecrata, quam præ vetuſtate nimiâ fatiſcentem, Dominicus ex nobiliſſimâ Ruvereorum Proſapiâ, Patritius, et Antiſtes Taurinenſis, ac tit. S. Clementis S. R. E. Cardinalis, ante annum 1498. auguſtiore ornatu totam refecit. Eſt inter cætera Templum hoc cruentâ Redemptoris hominum Sindone, præclariſſimo videlicet noſtræ Salutis inſigni, admodum venerabile, ab anno 1578. quo S. Carolus cognomento Borromeus Archiepiſcopus Mediolanenſis ad eam piè viſendam Taurinum pedeſtri itinere eſt profectus. Eidem

Ædes Parochiales decem.

1. Metropolitana D. Ioan. Baptiſtæ.

In quâ Sindon Salvatoris noſtri.

porrò tutiùs, decentiusque ſervandæ Sindoni, jam diu cœpit ad Templi ejusdem caput ædificari Regium Sacellum, ex pretioſiſſimis marmoribus ab imo ad ſummum uſque, totum compactum, atque faſtigiatum, & intra paucos annos omnino perficiendum, æternum Sabaudicæ magnificentiæ, religioſique erga tantum Divini amoris pignus animi monumentum. Cui accedet patulum in Platea Caſtri Solarium, cum media ad normam quadriformis, & undequaque adaperti Templi ædicula, ex qua fermè quotannis ad diem IV. Non. Maji, populo ex remotiſſimis terrarum partibus eo loci numeroſiſſimè convenienti linteum illud venerandum exponi ſolet. Colitur præterea in eadem Baſilica D. Secundi Civitatis Patroni, nec non D. Mauritii, Thebæræ Legionis Ducum Primariorum, qui, Maximiano imperante, pro Chriſto ſanguinem fuderunt, ſacrorum oſſium pars inſignis ab Ietimulo, ubi Secundus cæſus, & ab Agaunenſi Cœnobio, in cujus vicinia Mauritius interemptus, Taurinum translata.

& oſſa SS. Secundi & Mauritii.

Epiſcopi ab A. 300. Archiepiſcopi ab A. 1515. Metropolitæ Suffraganei.

Epiſcopos ab anno Chriſti trecenteſimo: ab anno verò milleſimo quingenteſimo decimo quinto numerat Archiepiſcopos, ſuæque Sedis Suffraganeos Præſules, Eporedienſem, Monteregalenſem ac Foſſanenſem. Archiepiſcopo præſto ſunt Canonici quinque ſupra viginti, inter quos Præpoſitus, Archidiaconus (Spirituale in Valle Sturiana jus dicens) Theſaurarius, Archipresbyter, Cantor, dicuntur primariæ Dignitates. Præter hoc, aliud eadem Metropolitana Eccleſia habet ſex Canonicorum Collegium, ab Adelaida, cujus ſupra mentio, Secuſinorum Marchioniſſa magna ex parte fundatum, qui Sanctiſſimæ Trinitatis nuncupantur. Numerantur deinceps Paroeciæ plures, quarum, uti populo numeroſiſſima, ita cæterarum creditur antiquiſſima, ea, quæ habet pro Titulari D. Euſebium Antiſtitem Vercellenſem, olim de jure Ruvereæ Familiæ patronatus, nunc per Presbyteros Congregationis Oratorii adminiſtrata: Reliquæ ſunt, Parochialis Eccleſia S. Thomæ, ubi Minoritæ, de Obſervantia nuncupati; S. Mariæ de Platea, ubi Monachi Carmelitæ; Sanctorum Iacobi & Philippi, ubi Auguſtinenſes Eremitani; S. Dalmatii, ubi Clerici Regulares, quos nominant Barnabitas. Cæteris Parochialibus Eccleſiis, S. Pauli, SS. Stephani & Gregorii, S. Martiniani, Sanctorum denique Simonis & Iudæ Apoſtolorum, Sacerdotes præſunt, curantque animas, ſæculares. His addendæ extra muros, in Suburbio videlicet ad Padum orientali, SS. Marci & Leonardi: in agro ad Occidentem, S. Mariæ, quam Putei deſtrata appellant, ubi Religioſi adminiſtrant Parochialia Olivetani: atque in vitiferis ultra Padum collibus, S. Viti, S. Grati de Mongrano, S. Mariæ de Subpergula, S. Mariæ Realiarum, Sanctique Ioannis de Saxiis Eccleſiæ, item Parochiales.

Collegium ſex Canonicorum.

2. D. Euſebii Vercellenſis.

3. S. Thomæ. 4. S. Mariæ de Platea. 5. SS. Iacobi & Philippi. 6. S. Dalmatii. 7. S. Pauli. 8. SS. Stephani & Gregorii. 9. S. Martiniani. 10. SS. Simonis & Iudæ. Eccleſiæ Parochiales extra muros.

Aliæ domus intra Vrbem Religioſæ.

Præter hactenus memoratas, aliæ inſunt Vrbi Domus Religioſæ, Ordinis videlicet Fratrum Prædicatorum ad D. Dominici; Minorum Conventualium ad D. Franciſci; Ciſtercienſium, qui Fulienſes vocantur, ad B. Mariæ de Conſolatione; Ieſuitarum (quorum Collegium, ſcholarum, ſcholariumque numero percelebre, titulo gaudet Vniverſitatis) ad SS. Solutoris, Adventoris, & Octavii Martyrum Thebæorum Baſilicam, vbi eorundem Martyrum, nec non B. Gocelini Abbatis, atque B. Iulianæ..... ſacra corpora requieſcunt; Minoritarum Obſervantiæ ſtrictioris, ad D. Mariæ Angelorum; Carmelitarum Diſcalceatorum ad D. Tereſiæ; Auguſtinenſium nudis itidem pedibus incedentium, ad D. Caroli; Clericorum, quos Theatinos vocant, ad D. Laurentii; Minimorum ad D. Franciſci Paulani Templa, partim priſcæ, partim recentioris ſtructuræ, ut plurimùm tamen elegan-

gantissimæ. His addendi S. Antonii Viennensis, Infirmis ministrantes, vulgò *Fate ben Fratelli*, Congregationis de Somasca, atque Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, sive Redemptionis captivorum exactiorem observantiam profitentes Cœnobitæ, omnes intrà Vrbem siti; quamvis eorum aliqui, admissi licet, certam tamen nondum ibidem fixerint sedem.

Cœnobia duo Capuccinorum extra urbem.

Extra Vrbem, duo habent Cœnobia Capuccini. Eorum unum è regione Padani Pontis, in summo Montis fastigio, quod olim Malettorum Bastita nuncupabatur, ornatur Ecclesiâ B. Mariæ de Monte dictâ, quam Carolus Emanuel I. Dux Sabaudiæ sumptui minimè parcens, magnificam adeò ædificavit, ut magnificentiorem nullam in tota Europa fortasse iidem habeant Capuccini. Alterum, in agri planitie ultrà Duriam flumen situm, vulgò *La Madonna di Campagna*, licet huic, Religiosorum numero, cedat, præstat tamen antiquitate. Habent quoque in summis, Taurinum inter & Carium, collibus, celeberrimam Eremum Camaldulenses, eodem Duce fundatore, qui structam ibidem Ecclesiam pro Sabaudici Ordinis Torquatorum Equitum servitio destinavit, ut in ea ejusdem Ordinis celebrarentur comitia, peragerenturque illa pro Equitibus defunctis officia, quæ penes Cartusienses Petræ Castri in Beugesio, juxtà mentem Amedei VI. Sabaudiæ Comitis, quem cognominant Viridem, institutoris, celebrari, & peragi consueverant. Superstunt extra Portam Vrbis australem Religiosi, quos vocant B. Mariæ Servos, quorum Templum infernè quadrilaterum, supernè verò orbiculare, in prospectu est Regii suburbani Valentini, nec admodum procul ii, qui D. Ioannis de Matha, Falconi Sabaudicæ ditionis Oppido orti, institutum sectantes, captivis operam navant redimendis, non ita arctam tamen, ut ii, de quibus superiùs dictum est, observantiam Regulæ profitentes; eorum verò Ecclesia dicitur *la Crocetta*: atque ad agri Taurinensis extrema, propè Sangonum flumen, quod indè in Padum labitur, atque ad Palatium Regium Millesiorum, iidem, qui intrà Vrbem, Fulienses, à Victore Amedeo I. Duce asciti.

Camaldulensium eremus.

Servi B. Mariæ extra portam urbis australem.

Sectatores D. Ioannis de Matha.

la quorum Ecclesia dicitur la Crocetta.

Deo dicatarum Mulierum sacri coetus intra Vrbem.

Quòd spectat ad Deo dicatarum Mulierum sacros cœtus, insunt Vrbi, à primæva earum uniuscujusque Ordinis fermè fundatione, Moniales Congregationis Lateranensis, *S. Croce delle Monache*, Clarissæ, Carmelitæ, Capuccinæ, Visitationis, nec non Annunciationis Deiparæ Virginis; & quæ nostro ævo, ab Eminentissimo Alexandro, S. R. E. Card. Crescentio, dum is in Sabaudica Curia Pontificii Legati munere fungeretur, quondam recluſæ, Monasterium modo in ampliatæ Vrbis parte de novo ædificant, illuc, utpotè ad sedem opportuniorem, migraturæ, Ecclesia quarum est sub Crucifixi invocatione. Nec desunt alia duo iis destinata gynecæa, quæ postquam à carnis illecebris emerserunt, vitæ se claustrali perpetuò addixère, unum S. Mariæ Magdalenæ, alterum S. Pelagiæ titulum præferentia, licet inter eas quamplures sint, quas illibata pudicitia, morumque honestas perpetuò commendavit, ut nihil interea dicam de periclitantium, atque parentibus orbatarum Domibus, ubi puellæ sub honestarum matronarum disciplinâ aluntur magno numero, donec nubant. Essent adhuc commemorandæ aliæ ædes Religiosæ, Ecclesiæque in iis, quorum supra memini, suburbiis olim sitæ, (S. Solutoris videlicet majoris antiquissima, atque admodum celebris Abbatia, quam per multa sæcula Benedictini Ascetæ inhabitarunt; Ecclesiæ S. Solutoris minoris; S. Secundi; S. Rolandini; S. Bernardi dependens ab eo, quod in editissimo Montis Iovis vertice constructum est à D. Bernardo de Mentone Archidiacono Augustensi, in viatorum subsidium, Monasterio; S. Lazari, ubi Leprosetum vetus;

Ædes Religiosæ in suburbiis olim sitæ.

Equitum S. Ioannis Hierosolymitani Humiliatorum, quorum Pius IV. Romanus Pontifex delevit Ordinem; S. Margaritæ demum, ubi Sanctimoniales) nisi ea sacra sepța, unà cum eisdem suburbiis, bellorum incommodo penitus corruissent.

Laicorum sodalitia.

Laicorum, qui pietatis operibus ex instituto incumbunt, Sodalitia plura enumerantur, utpotè S. Crucis, sive de Disciplina Spiritûs Sancti, qui Hæreticorum, Infideliumque operam præstant ad veram fidem conversioni; S. Ioannis decollati, seu de Misericordia, quorum est vitâ privandis Reis assistere, ut expiatis ritè animis moriantur; Sanctissimæ Trinitatis, numerosissimis, qui per hanc Vrbem ex Italia, Galliaque commeare solent, hospitalitatem, charitatis ergo, præstantes pauperibus peregrinis: Sodales denique Sanctissimi Iesu nominis, Deiparæ Annunciatæ, S. Mauritii, ac S. Rochi. Horum verò Sodalitiorum nonnulla proprias habent, sive Ecclesias, sive ad Parochiales Vrbis Ecclesias propria Oratoria sumptuosè ædificata. Non omittendæ, Congregatio D. Pauli multimodè in vinea Domini laborans, sublevandisque intenta egenis, ex Civium maximè conspicuis concinnata, Corporis Christi Societas, convenire solita in magnificentissimo ad Forum Olitorium Templo publicis sumptibus extructo, eo scilicet loco, ubi anno 1453. contigit notissimum illud Sacrosanctæ Eucharistiæ sacrilegis manibus raptæ, atque militares inter sarcinas asportatæ prodigium. Aliæ Societates duæ; primariorum una Civium, qui cùm se totos Virgini Matri addixerint, Mariæ mancipia, *Schiavi della B. Vergine* dici gestiunt, inter quos ipse supremus Princeps; Nobilium altera fœminarum, easque inter Regnatrix ipsa, quæ non dispari ductæ spiritu humilitatis, vocantur Humiliatæ. Præter verò jam enarratas, quas Virgo Deipara habet extrà Vrbem cultui suo dicatas ædes, quarum una supra Padi Fluminis ripam sita, vulgò *la Madonna del Pilone*; alia verò non longè à Duria propè Lucentis Castellum, *la Madonna di Lucente*; utraque non à Civibus solùm, verùm etiam ab advenis miraculorum famâ maximè frequentata.

La Madonna del Pilone.

La Madonna di Lucente.

Societas primariorum civium.

Societas nobilium fœminarum.

Tot pietatem præ se ferentibus, tam intrà, quàm extra Vrbem publicis ædificiis accedunt tria publica Xenodochia, excipiendis ægris pauperibus destinata: unum quidem cæteris amplius, quod S. Ioannis vocant: Secundum à SS. Mauritii, & Lazari Equitibus, quorum præcipua in hac Vrbe Sedes, administratum: tertium eorum commissum Religiosorum sollicitudini, qui ut supra diximus *Fate ben Fratelli* Italicè vulgò audiunt. His tamen omnibus præstat Domus hospitalis, quæ vagis, mendicantibusque colligendis destinata à Charitate nomen habet, ædificii amplitudine, & pauperum, qui ibi aluntur, numero commendabilis. Inter cætera verò, sericam textrinam ibidem, per ingeniosissimè fabricatarum machinarum usum, distincta puerorum agmina facillimè edocentur, qui demum ex Tyronibus facti Magistri habent unde ex lucro, quod inde provenit, commodè reliquam vitam ducant. Præstat etiam Domus altera Virtutum Hospitium nuncupata, in qua cùm exquisitiori lanificio holosericæ, Phrygiæque vestis texturæ, aliisque rarioris disciplinæ operibus, inopes, quà viri, quà fœminæ jugiter navent operam, à Principe introducendarum bonarum artium studioso donata fuit peculiaribus privilegiis.

Xenodochia publica.

Domus hospitalis.

Virtutum Hospitium.

Ne tamen Augusta Taurinorum liberalibus minùs, quàm servilibus Artibus ornaretur, habet ab anno 1405. publicam omnium scientiarum Academiam, Iuris præcipuè utriusque, Theologicæ, Mathematicæ, ac Medicæ facultatis, ex qua cunctis retrò temporibus viri eruditissimi prodierunt, quos longum esset enumerare: testantibus id ipsum ab eisdem editis doctissimis in omni genere volu-

Academia.

Artis impressoriæ antiquus usus in hac urbe.

voluminibus. Id verò hoc loco minimè omittendum, impressoriam Artem, quâ tantum foventur studia litterarum, ex quo primùm ad nos ex Germaniâ penetravit, in hâc Vrbe, prius, quàm alibi fermè in Italia, esse excultam.

Augusta Taurinorum ex quo tempore Sedes Ducis Sabaudiæ facta sit.

Quòd verò Taurinorum Augusta maximo omnium sibi tribuit ornamento, est fixus in ea, ab Emanuelis Philiberti usque temporibus, supremi sui Principis, Ducis videlicet Sabaudiæ, Regiæ Familiæ, Aulæque (quod bonâ cæterarum veniâ dixerim) omnium ferè, quas Christianus Orbis suspicit, splendidissimæ incolatus. Vnde factum est, ut confluentibus eò ex circumfusâ regione, quin immò, ex longè positis, ad Sabaudicæ beneficentiæ famam, accedentibus populis, Vrbs brevi habitantium numero, opibus, ædificiis, tam privatis, quàm publicis valdè creverit. Hanc tamen non contenti Principes intrà muros ornasse tantùm, etiam extrinsecus multifariam exornarunt.

Ædes, villæ & diverticula extra urbem. Valentinum.


Occurrunt in primis Regales ad Padi ripam deliciæ Valentini, ubi ingressus hospes, spatiosissimum, quod statim in theatri formam sese offert, atrium, non unum modò, sed plura simul Palatia, intuetur, gratissimoque labens infernè fluvius est spectaculo. Habet porrò rariora quæque videndi studiosus, quo sibi cumulatissimè satisfaciat, infinitum videlicet ibidem tabularum pictarum numerum, è marmore sculptas, ex ære fusas columnas, statuas, præter reliquam omnis generis copiosissimam gazam, ac supellectilem, circumposita viridaria, nemoraque, quæ omnia non est hujus peculiariter describere instituti. Vltrà Padum eminent aliæ, cum Regiis unaquæque ædibus, Villæ: quas inter, ea, quæ fuit à Christiana Francica, Sabaudiæ Ducissa, dum tutorio nomine regnaret, in summo clivo ex ejusdem Valentini regione ædificata: altera supra Padano Ponti imminentes colles à Mauritio primùm Sabaudo Principe, posteà verò à Ludovica Maria ejus quondam Conjuge multipliciter aucta, & exornata. Hæc in aspectu Padi deliciosissima curifugia situ, manuque perquam jucunda, suisque structoribus non indigna. Habet etiam suas Sangoni, Duriæque fluviorum vicinia, qui non longè ab hâc Vrbe Padum intrant, Regales delicias. Ad Sangonum quidem prostant Ædes, atque nemora spatiosissima simul, atque amœnissima Millefiorum, locus, siquis alibi, exhilarandis animis atque superbo ædificio oportunus: ad Duriam verò sese offert duplex longè, latèque patens Roborarium, (vulgò Parcum vocant) novum, vetusque, utrumque annosis ulmis, quercubus, populisque in ordinem dispositis, viis intercursantibus, pratis intervirentibus, aquis interlabentibus peramœnum; illud publicæ Civium exhilarationi, exercendæque per ludos juventuti; illud peculiari Principis otio, quoties venari lubet feras, ibidem inclusas magno numero, destinatum. Parcimus interim de venatione Regia, ubi Carolus Emanuel II. delicias in unum congessit omnes, aliquid dicere: ultrò etiam omittimus, alia hujusmodi extraurbana Regia diverticula; & quod extra Taurinensis agri terminos sita sint, & quòd alius superfit ea specialiùs describendi locus. At hæc de Augusta Taurinorum, brevitatem sectanti, satis.

Villa Christianæ Francicæ.

Villa à Mauritio Sabaud. Principe & à Ludovica Maria aucta & exornata.

Ædes Millefiorum.

Parcum vetus & novus.



AVGVSTÆ TAVRINORVM PROS

OSPECTVS.

AMSTELODAMI
Apud
IOANNEM BLAEU.

AUGUSTA TAURINORUM
OBSESSA

PLATEÆ VETERIS

PROSPE[illegible]

[illegible]NTE CASTRVM.


REGIA PLATEA.

AVguſtæ Taurinenſis Platea, quam Regiam dicunt, è quadrato longior protenditur. Porrectæ in longitudinem alæ, unius in vultûs ſpeciem ſeſe planè componunt, perpetuo inſidentes fornici, eà lege ſuſpenso, ut arcubus ſingulis intermediæ columnæ binæ communi ſuccumbant epiſtylio; ſibi pariter reſpondentibus invicem, quà ſimulacris ſuos intra umbones pectore tenus extantibus, Arcusve bellè intercurſantibus, quà luminum ordinibus, nusquam abruptis, quà elatis unanimiter tectorum verticibus. Non item, ut alæ, ſibi mutuò cohærent frontes; ſiquidem altera fingens ſeſe ad concordem alarum vultum, ab iisdem vix hoc abhorret diſcrimine, quod ſuprà extrema ipſarum tecta modeſtè eminet, haud innixa columnis, oculos tamen utcumque fallens arcuum mendacio. Frons altera, & quidem Plateæ princeps, ex parte dumtaxat alarum ſcenam admittens, cæterum in geminas Templorum facies diſcedit, amplâ quidem eademque diſcretas viâ, quæ rectâ itidem obverſum ſecat frontem; at unanimi projecturarum magnificentiâ omninò gemellas, concordique apice ſuperbè cæteris imperitantes ædificiis. Viarum ad oſtia, quæ transverſim alas à frontibus dirimunt, arduo plintho marmorea è ſolo ſtant ſimulacra. Cæterum, uti ampli hujuſce fori extrema ornant hæc, quæ dixi, vel ſacra, vel ex potiori parte deſtinata habitationi Nobilium ædificia, ita interiorem aream commendat maximè populi undique concurrentis frequentia, iis præſertim diebus, quibus, cùm proſtet ibi refertiſſimum venalium rerum emporium, ad emendum, vendendumque illuc ex tota regionis vicinia convenitur.

PLATEA REGIA, AV

Amstelodami Iannes Blaeu Excudit

REGIÆ BIBLIOTHECÆ. EQVESTRIS ACADEMIÆ. VETERIS CASTRI CVM SVO VTRINQVE FORO. AD SEPTENTRIONEM INSPECTIO.



PROPVGNACVLVM
CVI
VIRIDE NOMEN.

SVperba Regii ædificii moles, quam Carolus Emanuel Secundus poſtremâ hac ætate in admirabilem magnificentiam erexit, ex ea parte, quâ, adversâ ſui facie, Septemtrionalem excipit Boream, ſubjectam proximè deſpicit ampliſſimam quadratæ figuræ aream, quæ in viridarium eleganter exculta, Regiæ molitionis magnificentiæ parem aſſociat amœnitatem. Ad alterum quippe latus, longo, perpetuoque ædificii tractu percluſa, ab altero in proximam ſilvam, jucundamque planitiem liberum deſcendere permittit aſpectum. Dehiſcit in medio tellus defoſſa veluti in capaciſſimam concham, cujus marmoreo margini inſident æquo intervallo diſpoſita ſimulacra, quæ copioſâ aquarum ejaculatione circumquaque proludunt, gratiſſimum oculis oblectamentum, & totius complementum amœnitatis. Quà verò extremam viridarii partem terminant, altèque ſuſpendunt proximè circumducta mœnia Civitatis, ulterius ſeſe porrigit Propugnaculum (*Baſtion verde* vulgò dicitur) præcipiti celſitudine arduum, validis hinc inde obfirmatum lateribus, & ad omnem militaris architecturæ normam ſolidiſſimè efformatum. In quo, ne conjuncta deeſſet fortitudini amœnitas, interior area, hortenſi cultu mitigata, tam firmum Vrbis præſidium vertit in delicium Regiæ voluptatis. Adnexæ illi cortinæ longè protenduntur, quarum altera amplam in valle ſemitam aperit, quæ, duplici citreorum arbuſculorum ordine obumbrata ad vetus usque Caſtrum ſpatioſè deducit. In extremo Propugnaculi angulo eminet ſpecula veluti in acroterium amplè, & magnificè ædificata, quæ primò ſubeuntes hinc & inde diverſis in cubilibus excipit, quibus illuminati auro copioſiſſimo fornices, varioque emblemate variati parietes, nihil patiuntur ad ornamentum deeſſe. Aperit ſeſe ſubindè amplior aula, quæ columnis marmoreis tecti faſtigium altè ſuſtentans, & circumducto cancellorum ordine terminata, oculos in ſubjectam planitiem liberè ducens, varià illos recreat amœnitate. Siquidem patet illicò proxima pratorum hortorumque perjucunda varietas, ac ſubinde fluvius Duria undas ſuas limpido lentoque curſu placidè evolvens, cujus ad oppoſitam ripam ingens nemus penè in immenſum longè latèque diffunditur, quod extenſis amplè ſemitis ſpatioſum, & variis viarum involucris, & veluti labyrinthis implicitum, accurrentes, per æſtivos calores, Cives ad maximè opportunum laxandis animis, æſtuque levando locum invitat.

PROPVGNACVLVM.

CVI VIRIDE NOMEN.

Cum Regii Palatii, atque Hortorum Prospectu.

Ad securitatem, atq; delicias

Regiarum Sabaudiæ Ducum.

MVSÆI,

cum Regiæ Familiæ ſculptis. Geſtorumque

pictis Imaginibus Bibliothecâ,

Et Statuarum veterum Ornamentis. Vulgo

LA GALLERIA.

Proſpectus interior Et exterior.

VRBANVM PRÆTORIVM AVGVSTÆ TAVRINORVM.

EX Plateæ regione, quæ à Caſtro nomine accepto, vulgò dicitur *Piazza-Caſtello*, ducto longâ elegantique viâ proſpectu viſitur Vrbanum Prætorium, molis amplitudine, ſoliditate materiæ, ſymmetriâ partium, deſcriptione membrorum, operis totius elegantiâ inter præcipua Auguſtæ Taurinorum ornamenta. Marmorea facies in ſubjectæ Plateæ frontem longo excurſu protenditur. Ductum in ſublime faſtigium diſpoſitis in ambitum ad inſtar Coronæ cancellis ſuprà reliquas latè domos magnificè aſſurgit. Non vulgarem operi majeſtatem addunt extantia è cancellorum ſtylobatis media in facie ſimulacra octo marmorea: ad latera perpetuus ordo globorum è marmore. Infra Coronidem diaglyptico opere ingens ex ære fuſili Regiæ Domûs ſtemma. Sub ſtemmate grandiori charactere Inſcriptio, quâ & dicati, & fundati Prætorii ratio redditur. Ea ſic habet:

CAROLO EMANVELI
ET FRANCISCÆ A FRANCIA
AVGVSTISSIMIS REGIBVS AVGVSTA TAVRINORVM
QVAS OPTATA CONIVGII SPE FVNDARAT ÆDES
FAVSTISSIME CELEBRATI GRATVLATIONE
DEDICAVIT.
ANNO M DC LXIII.

Architectura Prætorii tres ordines.

Tota Prætorii Architectura, ut ex ichnographia habes, tres in ordines distinguitur. Quâ primi ordinis projecturæ in Coronas eminent marmoreis cancellis perpetuo procurſu meniana, quæ media ſuprà oſtium parte, è muro aliquantò magis, elegans in podium recedunt. Cancellis ſuprà interpoſitas baſes Cælitum ſimulacra, quibus Civium conſenſus Vrbis patrocinium detulit, hi ſunt SS. Ioannes Baptiſta Domini Præcurſor, Solutor, Adventor, & Octavius & Secundus Martyres Thebæi, quibus nuperrimè additus incredibili Vrbis totius gratulatione & plauſu Sanctus Franciſcus Xaverius Indorum Apoſtolus.

Vrbis Patroni.

In reliquo ædium proſpectu frequentes mutuli in Taurorum Vrbani ſtemmatis capita efformati. Zophori præterea, metopæ, ſupercilia, margines, & quicquid aliud ad elegantiam facit mira arte elaboratum. Exterius oſtium geminis ad ſingula latera columnis, ſcapo, faſciis per intervalla diſtincto, intercipitur.

Medio inter columnas ſpatio, & utraque parte loculamentum cum ſimulacro. In Prothyro concamerata porticus ambulatoria, paraſtatis egregiis, quibus tota ædificii moles incubat, ornata.

Interius oſtium antepagmentis pulcherrimum; tres utrinque veluti telamones, qui Taurino vertice frontiſpicium ſuffulciunt. Periſtylium ingreſſis oculos detinet interior Palatii

magnificentia. Peramplum Cavædium circumeuntis ædificii facie elegantissimum. At nihil graduum ordine magnificentius, quibus in superiorem ædium partem ascenditur. In primo scalarum prospectu simulacra marmorea: supernè testudinatus fornix editissimus lacunari picturis ornatissimo. Ad summa scandentibus ambulacrum occurrit cum egregiis menianis, quæ conspectum in compluvium facilem præbent. Inde in majorem aulam aditus, quam mediam excipiunt æstivum hinc, hyemale inde senaculum, omnia hic ad exquisitissimi ornatûs elegantiam. Contignationes in multiforme spatium quà angulosum, quà rotundum distinctæ: In his picturæ, atque inscriptiones, quibus vetera Vrbis decora Civium oculis subjiciuntur. Reliqua artificis scalpro cælata, eaque affuso auro perquam pulchrè renidentia. Parietes auro, quà picturis intermixto, quà intertexto peristromatis pretiosis. Omitto Secluforia, Tabularia, & alia hujusmodi, quæ reliquæ Palatii magnificentiæ respondent. Postremo loco addam dignam, cujus exstet memoria, in fundaminum angulo collocati lapidis Inscriptionem, quæ ut hujus generis alia, ab unius Emanuelis Thesauri celeberrimi hac ætate, optimique de Patria meriti scriptoris, calamo, & ingenio effluxere.

ALMA DIE SEXTA JVNII
MEMORABILI DIVINI CORPORIS MIRACVLO
SACRA
AVGVSTA TAVRINORVM
VRBANVM PALATIVM
IVCVNDISSIMA CONIVGII REGALIS SPE
SPECIOSIVS REDIVIVVM
ÆTERNO HOC LAPIDE
ÆTERNÆ FIDELITATIS, AC PIETATIS TESTE
INAVGVRABAT.

BIBLIOTECA NACIONAL

PALATIVM PVBLICVM CIVITATIS AVGVSTÆ TAVRINORVM.




PALATIUM URBANUM CUM FORO OLITORIO

TVRRIS PVBLICA.

AD dexteram viæ Regalis, vulgò dictæ *La Dora grossa*, altissima, eademque marmorea ad calcem, reliqua cementitio plastico opere & picturis, elegantissima quadrata Turris exurgit. Inferiori in parte, & ad faciem Septentrioni objectam duplex adest porta, vera una, altera efficta, ut Architectonicæ arti aptiùs conveniat, quarum ornamenta marmorea, Insignia ejusdem Vrbis pariter sustinent. His superimposita Inscriptio insculpta, quæ infra subjicietur.

Facies huic respondens, quæ Orientem prospicit, Iconem exhibet Sacratissimæ Syndonis ab Angelis Vrbi, cujus prospectus ibidem subjacet, explicatæ. Insunt eidem Divi Taurinensis Vrbis Tutelares, eandem venerantes, Ioannes Baptista scilicet Domini Præcursor, Secundus Thebæ legionis Propræfectus, Solutor, Adventor, & Octavius pariter Thebæi, & Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus nuperrimè à Civibus, antiquis additus.

In imâ verò parte Padus & Duria præcipua Vrbem alluentia flumina repræsentantur. In superiori ordine immediatè sequenti, & utraque in facie ad Orientem & Septentrionem obversâ dignitates à Cæsaribus Civitati collatæ exprimuntur. Vnaquæque ejusdem Turris facies horarium circulum proponit. Tesseratum itidem Sabaudiæ Scutum, inter leoninos Telamones, auro argentoque intermicans, & Regio Sabaudiæ amictu, sive Conopeo regaliter intectum.

Ad Septentrionem inter præcipuum horarum circulum, & Regium stemma versatilis globus, pars auro lucidus, pars opacus, crescentis & decrescentis Lunæ ætatem docet: Reliqua latera, ut Architecturæ ratio conveniat, ejusdem versatilem globum in concavâ superficie fallaci colore mentiuntur. Quà Turris quadratum desinit sustinet marmoream Speculam, in qua Tubicines læto clangore festis celebritatibus canunt. Hinc octogona pars editior erigitur, supra quam ligneum tectum croceo & fulvo papilionatis lucidi ferri laminis squammatim obductum, ad formam Pyramidis altum, gracilescit in conum. Iuxta basim, & latioris Pyramidis partem circuit Regia Ducis Corona, auratis octo suffulta Tauris, aptatis ad angulos loco mutulorum.

Cacumini insidet fulgurans globus, supra globum æneus & auro oblitus Taurus per medium ventrem & dorsum ferreo transfixus hastili, ventorum flatibus circumagitur, temporis vicissitudinum index. Ab hoc radians humanæ salutis signum, in formam Mauritianæ Crucis effectum quam celsissimè tollitur, & arduum apicem penè sideribus admovet. Inscriptio verò, de qua superiùs memini, hisce notis concipitur.

CAROLI EMANVELIS II.
ET MARIÆ IOANNÆ BAPTISTÆ A SABAVDIA
SABAVDIÆ DVCVM CYPRI REGVM
AVGVSTISSIMO ATQVE AVSPICATISSIMO EX CONIVGIO
VICTORIS AMEDEI II.
PRIMIGENII PEDEMONTIVM PRINCIPIS
OPTATISSIMO ATQVE OPPORTVNISSIMO EXORTV
REGIÆ FAMILIÆ, SVBALPINÆ GENTI, AVGVSTÆ VRBI
INCOMPARABILI FELICITATE AVCTA
AVGVSTO-TAVRINENSES
VRBANAM TVRRIM PENE COLLAPSAM,
VT LÆTITIÆ PVBLICÆ INCREMENTA LATIVS TESTENTVR,
ALTIOREM, LÆTIOREMQVE RESTITVVNT.
ANNO OMNIVM TRANQVILLISSIMO
M DC LXVI.

TVRRIS PVBLICA
VRBIS TAVRINI.





SACELLVM
SACRATISSIMÆ
SINDONIS.

INter cæteras, quibus Italia exornatur, admiratione dignas ædes principem facilè locum consequitur illud, quod ad sepulchrales exuvias Christi digno sinu excipiendas Taurini exædificatur Sacellum; cujus hic Imago, graphisque exprimitur. Machina est à majoribus quidem concepta, sed primis tantùm lineis inumbrata, sublatisque ideis indigitata. Quam Regia Celsitudo Caroli Emanuelis Ducis Sabaudiæ, Pedemontii Principis, heroicaque magnanimitas, admirabili, quâ pollebat in molibus fastigiandis sagacitate, eliminato non unico architecturæ mendo ad artis trutinam perpolivit, & liberali divitiarum profusione ad extremos apices urgebat, & tanta quidem ardentis animi pietate, ut sæpius invitaret, opus exstimularet, quò magis ingentes Thesauros ingens machinamentum absorbebat, eò magis census stipendiaque adaugeret, & nec verbis, nec operi, nec auro parceret, donec incumbam tanti operis consequeretur; ut quilibet, qui bellicosas indoles tanti Herois non hauserit, utpote quòd Pax hujus sæculi invidiosa facinorum abreptis occasionibus in martiales ausus eas prosilire non siverit, saltem pietatem, magnificentiamque admiretur.


Templum itaque Divi Ioannis in tres sinus discriminatur, in quorum ultima fronte singuli aperiuntur prospectus marmorei, duo laterones scalas offerunt ad Sacelli pavimentum assequendum: medius internam ipsius symmetriam ostio ingenti patefacto contemplandam relinquit: aditus cæteri in Palatii Regii deambulacra, quibus sæpitur, se exonerant. Interim ipsum non Sacellum, sed augustissimum Templum in amplitudinem septuaginta sex pedum Geometricorum patere, & in altitudinem centum & quadraginta quinque assurgere admiraberis: videbisque in ipso nihil, quod architecturam præ se ferat, seu consideres internas partes, seu externa frontispicia, quæ ad Ecclesiam vergunt, seu portas, quæ in deambulacra porrigunt, quod non sit marmoreum, nec tamen ullum architecturæ genus desiderabis. Stylobatæ, Parastatæ, Columnæ, Epistylia, Zophori, Coronices, Coronypses, Acroteria, Ianuarum Antepagmenta, Supercilia, Frontalia, Tympana, Mausolea, Hani, Repla, Tholus ipse, Absisque, omne spatium coronicibus conquadratum, seu polygonum, seu arcubus lunatum. Iydio lapide nigrescit, qui speculari lævore tenuatus obstantes imagines repræsentet.

At omne cælaturæ genus, quâ impensè singula membra exornantur ære fuso gravescit. Ærea sunt simulacra, quæ vel hanis excipiuntur, vel acroteriis insidunt, Arcæ Caryatides, & Atlantes quæ vittas volantes sustinent: Ærei Thoracides, qui Scaphiis exerunt, Ænea Diaglyfica quæ in labariis tympana replent; phrenoscena super fores, emblemataque, rosæ in spatiis conquadratis; Mutili prothyrides, echinique in coronicibus, bases, spiræ, plinthi, capitellaque in columnis, seu parastatis; Encarpa, Protomæ, Seraphim, & quodcumque anaglyficum opus cupro riget; nihil hic Plasticus, nihil hic Pictor,


bracteatorque artis immiscuit: omnia solida, omnia siticera, stereophrontisque partus, aut metallo aut marmore fulgurat. Quinquaginta columnæ diversis locis dispertitæ, minimæ sexdecim pedum Geometricorum, & pilæ assistentes octuaginta polystrophum opus suffulciunt. Quinque ordines superpositi in altum evehunt suis coronicibus onerati, præter testudines tres, quæ ex illis paulatim se projicientes gyrum restringunt, & orbitam totius ædificii in incumbam extremam reducunt, ex quo facile structuræ magnitudinem concipies; quod ut & exactiùs percipias, singulas partes appositis characteribus latius erit particulari descriptione prosequi.

SA-

SCENOGRAPHIA
ÆDIS REGIÆ
SACRATISSI- -MÆ SINDONI
DIC- -ATÆ.



ICNOGRAPHIA
ÆDIS REGIÆ
SACRATISS: SINDONIS



CORPORIS CHRISTI

SACRAMENTUM

SACRA ÆDES CORPORIS CHRISTI.

ANno M CCCC LIII Die sextà Iunii, Augustà in Vrbe Taurinensi Divinum illud prodigium contigit, cùm Sacratissima Christi Servatoris Hostia, cum suo loculo argenteo, quod Ostensorium vocant Mystæ, ab Issiliarum Oppidi expugnatoribus rapta, convasata, atque Iumento imposita, ubi ad Olitorium Forum hujus Vrbis pervenit, procumbente protinus Iumento, atque sponte fatiscentibus sarcinis, exiliens in altum recessit: ac Sacro postmodum Ostensorio ad solum reciduo, ipsa per se candida Hostia instar Sideris summo in aëre, spectante Populo, diu fulsit, donec accedente Clero in Calicem ab Episcopo Ludovico Romagnano suppliciter oblatum sponte sensimque descendit: & Metropolitanam ad Basilicam solemni pompâ delata fuit: ac Cælestis instar Thesauri custodita.

Æternam Miraculo fidem astruxere Acta publica in Vrbani Prætorii, & Ecclesiæ Metropolitanæ Archivis asservata; gravissima Sacrorum, Profanorumque Historicorum monumenta: numerosa piorum Civium Sodalitas ab usque illo ævo ad continuandam Divini Muneris venerationem instituta. Sed oculare præsertim Monumentum suis Civibus objecit Vrbs piissima, marmoreum nempe hoc Sacellum, eodem in loco, ubi Augustissima Hostia subsstitit fervente operâ, atque eleganti opere stabilitum. Augustum illud quidem, utut loci angustiæ permisere; sed Augustâ Magnificentiâ, & singulari Architectonicæ Artis elegantiâ in angusto amplissimum. Extructa erat illa moles solido è marmore Pario candidissimo triplici fornice, Corinthiis interpolata Columnis ex omnibus exquisitioris sculpturæ operibus adspectabilis. Singulis autem fornicibus singula Historiæ illius argumenta industri expressa penicillo visebantur: In primo Issiliarum direptio & Divinæ Hostiæ rapina: in altero Iumentum Taurinensi in foro prostratum, & sublimis Hostia stellæ similis supplici à Præsule invitata: in postremo eadem Hostia ad Metropolitani Templi tabernaculum, comitante Canonicorum, Laicorumque ordine, delata. Stetit hæc Ædicula multis postinde annis, maximo cultu votisque frequentata: donec anno nonagesimo octavo supra millesimum quingentesimum Galliam Cisalpinam omnem corrumpente Pestilentiâ, Augustotaurinates, inter cætera pietatis ad placandam Numinis iram, expiamenta, augustiore Templo Sacellum hoc ad Divina ministeria, & Sodalium cœtum minus accommodatum, mutaturos sese votis omnibus devoverunt: idque splendidissimè, ac magnificentissimè præstitere, sumptuosissimo Templo Divini Corporis cultui dedicato, quod alia seorsim pagina repræsentabit.

CVI CORPVS DOMINI NOMEN,

TAVRINENSIS

FACIES

ECCLESIÆ

EXTERIOR.



Hic Latet
Tanti Prodigij
Locus.

SACRÆ ÆDIS CHRISTI CORPORI DICATÆ PROSPECTVS INTER

SACRA ÆDICVLA

ubi peregrina mira- fice subsistit Hostia
nunc in Augustiore Basilicam ampliata.



PORTA TAVRINENSIS
QVÆ DICITVR
VICTORIA sive NOVA.

QVo tempore Taurinorum Augusta, post acceptas à Barbaris clades, est quadratâ formâ, minore tamen, quàm antea, ambitu restituta, quatuor in eam, ut alias dixi, Portis aditus datus est, ad quatuor Mundi cardines, sibi fermè invicem respondentibus. Quæ Orientalem prospicit plagam, fama est Phaetontæam fuisse olim, sive Eridani nuncupatam, à Rege nimirùm Fluviorum Eridano, à quo non multo distabat spatio. Portam inde Castri cognominârunt, à Castro videlicèt, quod ante tria circiter sæcula Sabaudi Principes ad eam proximè constituxerunt. Ei, quæ ad Septentrionem vergit, Durianæ quondam, sive Doraneæ nomen obtigit, acceptum à Duria, incolis *Dora* (qui ad jactum paulò plus lapidis ponè labitur) fluvio: postmodùm Palatinæ (quod sanè nomen ad nostra adhuc servat tempora) ob inædificatum ipsi quondam Palatium, cujus externa supereſt tantùm facies, octogonâ hinc inde munitâ Turri, crebris distincta fenestris, atque ob sui altitudinem, licèt summum fastigium magna ex parte corruerit, veteris structuræ præstantiam procul loquens. Quæ ad Occidentem est, Secusina, quòd rectà Secusium exeuntes ducat, cognominatur: licèt Turrianicam quoque, à turriti olim Castri inibi siti vicinia, aliquandò dictam inveniamus. Quæ tandem cardini erat obversa Meridiano, Marmorea vulgò audivit, non olim modò, sed etiam hoc sæculo ineunte, ob ea, quæ ipsi admodùm inerant, ex secto Marmore ornamenta. Ea verò tamdiù stetit, donec dilatatis Vrbis spatiis dejectoque vetere, ex ea parte muro, nova Vrbs (sic enim ad distinctionem veteris appellatur) est à Carolo Emanuele I. ædificata. Successit itaque Marmoreæ alia in novis ad Austrum mœnibus, longè augustior Porta *Victoria* inde dicta, quod recipiendo Victori Amedeo, tunc Pedemontium Principi, Filio, Christianæque Francicæ ei recenter nuptæ, dum plaudentibus populis metropolim suam solemniter ingrederentur, fuisset ab eodem Carolo destinata: uti olim ipse per Castrensem, Catharinam Austriacam, ejusque Genitor Emanuel Philibertus per Secusinam, Margaritam Valesiam Regias Sponsas induxerant.

Quatuor olim Augustæ Taurinorum Portæ.

Orientalis.

Septentrionalis.

Occidentalis.

Australis.

Porta unica cui Victoria dicta fit.

Quoniam verò temporis angustia par non erat tantæ moli perficiendæ, cujus ære publico constructionem Civitas ipsa sibi sumpserat Taurinensis, ligneam ex tempore molem in triumphalis Arcûs speciem, picturis, simulacris, emblematibus, aliisque diversi generis Symbolis eximiè ornatam, eodemmet loco, statuerunt Vrbis moderatores. At biennio vix transacto, Marmoream undequaque, struxère Portam, viginti pro ejusdem constructione aureorum millibus erogatis, atque in eam Sculptoriæ Artis peritissimis advocatis. Vt verò ad posteros facti, auspicatissimique Conjugii memoria perennaret, sequens addita superne fuit in medio frontispicio candidissimo insculpta marmori, quæ legentibus patet adhuc Inscriptio:

CAROLO EMANVELI SAB. DVCI,
QVOD LIBERTATE ARMIS VINDICATA,
PACE BELLO PARTA, SECVRITATE PVB.
VICTORIS AMED. F. ET CHRISTIANÆ
CHRISTIANISS. CONIVGIO FIRMATA
IN EORVM ADVENTV
NOVAM VRBEM INSTITVERIT, ET
ANTIQVAM ILLVSTRARIT.
S. P. Q. T.
AN. M. DC. XX.

Molis interior quadratura, in ima parte ingentibus ſuffulta pilis, trifariam, in militum ſtationem, concameratur. Hi diu noctuque numeroſi ad eam excubant. Supernè in conclavia diverſa diſtinctis ſpatiis, relictus eſt locus Præfectis, Vigilum Centurionibus, Teſſerariisque excipiendis. Peramplus ponè fuit adjectus fornix, transferendis ad quodlibet latus tormentis majoribus, militum equorumque concurſationi, ultrò citrò que continuandæ, accommodatus. Inde verò illuſtri per diſpoſita foramina totâ mole, habent aggreſſores, quo cæcà ejaculatione miſſilium arceantur: ne dicam meantibus illac, remeantibusque hyemali tempore, ad apricum Principibus, Proceribus, curribus, quadrigisque (Curſum hybernum vocant) commodum deſervire.

Sicuti verò eandem Portam utrinque protegunt longo ordine diſpoſitæ, ad utrinque excurrentium propugnaculorum coronam æneæ majores bombardæ, ſic eam intrinſecus ornat longè diffuſus ad Regii usque Caſtri Palatiique extrema proſpectus, Regiâ, quam ſuo loco deſcribemus, Plateâ viam eò ducentem interſecante, quam ornatiſſimæ ædes tectaque æquali ſummitate faſtigiata utrinque ſtipant. Forinſecus verò triplex in diverſum directa latiſſimè patens via, duplici hinc inde ad tercentenos paſſus arborum ad regulam ſatarum ordine adumbrata, quarum quæ ad ſiniſtram eſt ad ſuburbanum Valentini delicium, dextera ad Regium Palatium Milleflorum, media, eaque cæterarum ampliſſima, totum, qui ad Auguſtæ Taurinorum Meridiem eſt, tractum Pedemontanum, Cuneum usque, atque indè ad Maritimam uſque oram interſecat. Verùm Portæ hujus deſcriptio ex ſubjecta figura melius innoteſcet.

ACRO-

PORTA NOVA, quæ et PORTA VICTORIA nuncupatur.




AUGUSTÆ TAURINORŪ

INGR-ESSUS

PER PORTAM ERIDANI

PORTA ERIDANA



ACROPOLIS TAVRINENSIS.

PEnes æquos rerum æſtimatores, Acropolis, ſive Arx Taurinenſis, vulgò *la Cittadella*, adeò eſt in pretio, ut, quamvis in Vrbis deſcriptione nonnihil de ea jam dictum ſit, oporteat tamen hoc loco de eadem peculiariùs meminiſſe, quod in aliis Vrbis, ſive ad Vrbem notatu dignioribus obſervabimus. Hanc igitur Arcem ſtruxit Emanuel Philibertus, Sabaudiæ Dux, pace, belloque clariſſimus. Cùm enim Taurinorum Auguſtam, ob ſitûs opportunitatem, Solique ubertatem in Sedem ſibi, ſuisque Succeſſoribus ſtabilem delegiſſet, eaque non admodùm diſtaret à Salutienſi Marchionatu, qui tum alienæ ſuberat Ditioni, ſtatuit Vrbem tam validâ acceſſione munire, ut non modò hoſtis cujusque impetum, ſi quando renaſcentibus bellis eam aggrederetur, retunderet, ſed etiam animos, injectâ illius expugnandæ deſperatione, ab oppugnando deterreret: atque adeò tranquillam ſuis, à præteritis bellorum procellis jam reſpirantibus, firmaret ſecuritatem. Præter collatos itaque in hanc rem ſumptus immodicos, contulit etiam mentis ſuæ ſcientiam militarem, quam tot per Europam expeditionibus, obſidionibusque latè collegerat, tum artem præclariſſimi eâ ætate machinatoris Franciſci Pacciotti Vrbinatis, Comitis Montis Fabri, quem ipſe, virtutis bellicæ prudentiſſimus æſtimator, jam pridem ad ſua ſtipendia adduxerat.

Acropolim ſtruxit Emanuel Philibertus & cur.

Illi ſtruendæ delegit ſitum ad angulum Vrbis Occidentalem, ut ab ea tum quà Aphricum, tum quà Caurum ſpectat, ubi nimirum æqua ſoli planities faciliorem aggreſſionibus præberet locum, aggreſſores faciliùs ſubmoveret. Forma eſt pentagona, protenſis ad artis exactiſſimæ præcepta egregiis quinque propugnaculis, quæ cum vallo, internam aream univerſam, conſultò depreſſiorem, ita tegunt, ut non modò milites, ſed & inhabitatas ab iis domos ab externis miſſilibus tueantur, quibus nuper adjectæ ſunt, juſſu Chriſtianæ Caroli Emanuelis II. Turricis, externæ parmulæ ad protegendas cortinas. In medio cortinæ, quæ objacet Civitati, exurgit quadrati moles firmiſſima ædificii, cujus tanta eſt amplitudo, ut ima pars, præter ſpatioſam militum ſtationem ad portam Arcis cuſtodiendam, & geminam aulam, atrium quoque complectatur vaſtis pilis ſuffulcientibus cameratum, bis mille hominum ordine diſpoſitorum capax: media verò in plures apothecas diſpertita, vim ingentem annonæ, bellicique apparatûs contineat. Altitudo autem ea eſt, ut tormenta, quæ plurima in ſuprema parte collocantur, toti circumquaque regioni, atque ipſis domibus urbanis imminеant. Neque hic omittendum eſt ingens Stemma Sabaudum ex ære fuſo ſupra Portam affixum, adeò exquiſiti, mollisque artificii, ut artis fuſoriæ miraculum videri poſſit: additâ litteris majoribus ſequenti, in memoriam Conditoris ſui, Inſcriptione:

Ejus ſitus.

Forma.

Altitudo.

EMANVEL PHILIBERTVS SAB. DVX X. VARIIS, POST AMISSVM A SVIS AVITVM SOLIVM, LABORIBVS EXANTLATIS, PARTA TANDEM CHRISTI NVMINE IN BELGIIS VICTORIA: ET MARGARITA FRANCOR. REGIS SORORE IN MATRIMONIVM DVCTA, RECEPTIS PROVINCIIS, HANC ARCEM PVBLICÆ SECVRITATI A FVNDAMENTIS EREXIT.
ANNO M. D. LXV.


Puteus in medio Arcis.

In medio Arcis Puteus eſt jugis, atque præamplus, & mirabili aquatione celeberrimus. Nam licèt valdè ſit altus, tamen ad fundum usque jumenta ipſa, atque equi, & quidem brevi temporis intervallo, centeni duci aquatum commodiſſimè poſſunt. Duplex enim via, quæ binos equos capiat, circa internum Putei murum, ſpirali ductu, multis feneſtris illuſtri circumvolvitur, à ſummo ad imum, quarum unam deſcendentes ineunt, per alteram aſcenſuri, quò expeditior, nullo obviante, ſit transitus. At, in ipſa Arcis area, idem Puteus coronatur duplici in altum porticu, quarum inferior lateritiis pilis, ſuperior marmoreis columnis innititur, interiore ſpatio ad ipſum usque Subdialem Putei alveum in plures cellas distributo, quarum aliquæ concludendis captivis, pleræque ſervando militari inſtructui deſtinantur. Quamvis autem propugnaculorum, cæterarumque munitionum ea ſit ſtructura, quæ præſtantiſſimos machinatores rapiat in admirationem: contemnenda tamen videri poſſint, ſi cum ſubterraneis molitionibus conferantur.

Neque exigua Taurinenſis Arcis eſt gloria, quòd ipſa Archetypus fuerit præclariſſimæ, quæ poſt Annum M D LXVII. ædificata eſt, Antverpienſis. Siquidem cum Pacciotti nomen ex hac potiſſimum Arce maximè inclaruiſſet, cum Philippus II. Hiſpaniarum Rex à Sabaudiæ Duce impetratum Albano Duci, in Belgium cum imperio proficiſcenti, adjunxit, ut ejus operâ tumultuantium Civitatum motus validis Arcibus premeret. Neque is defuit exſpectationi: Antverpienſem enim Arcem, maximum poſteà in Belgicis bellis ad plures, in una Antverpia ſervandas Provincias momentum, ex Taurinenſis planè forma architectatus eſt, vi prorſus invictam. Ac licèt Antverpienſis majorem celebritatem conſecuta ſit, ob diuturna nimirùm, totique Orbi notiſſima bella, quibus nulla de re major, quàm de illa vel retinenda, vel occupanda fuit animorum contentio, haudquaquam tamen eſt validior. Nam quod illi munimenti addidit vicinus Scaldis, id in hac abundè compenſatur ſubterraneis, quæ dixi, ingenioſioris artis operibus, quæ, oppletæ aquis, Antverpienſis Arcis foſſæ neutiquam patiuntur.

Arx Taurinenſis Archetypus Antverpienſis.

CITTADELLA
DI
TORINO.




Pianta della Cittadella di Torino,
come si ritrovava, con la Pianta delle
Strade coperte, tutte di pietra della presente con le due
piante per fondare di fuori, et fatte per ordine della
Maestà del medesimo Duca per Capitano
Generale fuori del Stato Signore A.


Alzata del Maſchio.




Alzata del detto Pezzo per quello che reſta fuori di Terra.



Proſpetto interiore del medeſimo, e ſuo profilo interiore con ſua profondità.





Pianta del Pezzo della Cittadella di Torino



Pianta del Maſchio della Cittadella di Torino.



VALENTINI ÆDES.

SVrgit ad ripam Padi placidè defluentis augusta Sabaudiæ Principum Domus, quam Valentinum appellant. Hæc opportunitate sitûs percommoda, habet in conspectu, Orientem versus, amœnissimos Colles frequentibus ædibus, & palatiis ornatos, cui præcipuè ex opposito supereminet Regia Christianæ à Francià Villa, brevi itineris tractu adeunda: ad latera verò Septentrionem versus & Meridiem, sinuosos Padi meatus & longam camporum, plantarumque seriem prospicit. Ab Occidente amplissima planities sese explicat, donec Alpinis Montibus circumscripta, ulterius tendere prohibet oculos. Propinquitas Taurinensis Vrbis, ad trecentos circiter passus distantis, eam non minùs reddit utilem Principi, quàm Civibus; nam ubi datur egressus ab Vrbe, duplex semita extenditur, altera obliquo tramite brevior, altera recto longior, donec ad Templum Divi Servatoris declinans, Turritas arces à longe exhibet. Vtraque tamen via terno plantarum ordine distincta solis æstus temperat umbrâ, pluribusque quadrigis pari gradu procedentibus ampliorem in medio locum præbet. Tandem ubi desinit via, augustam Domum ostendens, ingentem in aream primo in limine ducit, quæ porticibus undique coronata, & innumeris ex marmore columnis hypetrum sustentantibus Theatrum effingit. Tollitur ad latera hujus areæ hinc inde Palatium, quod cùm Tentorii formam exhibeat, Tentorium vocant: In conspectu verò tota facies regiæ molis porrigitur, ardua supercilio, plastarum operibus, & marmoratis expolita, & simulacris nobilis, quæ in bina brachia se fundens, immensas veluti ædes in longum protensas ostendit. In ultimâ areæ parte, ingens vestibulum ex utroque latere aperitur, ut proximos Colles, servatâ oculis libertate, in scenam exhibeat. Fornices versicoloratis suspenduntur columnis, cælatis ad latera Cæsarum simulacris: sub finem patet facilis ad Padum hinc & inde descensus per quinquaginta gradus balaustiis defensos. In eodem vestibulo oppositis portis ad intimas ædes in parte inferiori aditus panditur, duplici ordine in utroque latere dispositas. Hic primùm objicitur in Cubiculis numerus, stragula in Thalamis, aurum in fornicibus, in scriniis pretium, præcipuè peritissimorum pictorum opera. Ad superiores ædes, duplex scala ex marmore erigitur, duplicem item in medio Pyramidem attollens, æneis fulcris suffultam. In sublimiori atrio columnis in anteriori parte solidato, ad aulam maximam patet ingressus, quæ liberiore Cælo, & purioribus auris afflata, novam camporum colliumque scenam explicat. In valvis sunt argumenta elegantissimè perfecta, Emblemata in solo, & parietes unà cum ingeniti fornice variis figuris distinguuntur. Visus deinde triplices sese effundens in fenestras, multa die lucem haurit; quarum è mediâ exilit specula, ferreis undique laminis munita, Pado incumbens. Ad dexteram & lævam partem aulæ janua patet ad intima conclavia, quæ longè nobiliori labore, quàm inferiora, ornata, ampliſſimam majestatem præseferunt. Hic variis signis asarota apparent, flavo metallo pendentia laquearia, incrustatis caminis vermiculata marmora, regioque splendore intexta aulæa: quaque errant oculi, pretiosa suppellex objicitur, non tam materiâ, quàm opere dives. Non procul hinc, ut suus etiam Religioni locus detur, intimis in abditis

Situs.

Taurinensi Vrbi propinquitas.

Ædium descriptio.

Sacellum. Sacellum panditur, ſacris tabulis decoratum, & aureo lacunari coruſcans.

Aulicorum equitumque penetralia. Cætera vero aulicorum equitumque penetralia videntur, hinc ampliſſima Gynæcea, inde ſpatioſa Ephebea, hinc Pædagogia, inde in ſubterraneis ædificiis Hypogea. Vbi deſinunt intimæ ædes, producitur ex utroque latere duplex Pinacotheca, paululum

Duplex Pinacotheca. è cæteris ædibus reſiliens, & faſtigio minor, quæ bino luminum ordine ab Oriente & Occaſu illuſtrata, tantùm protenditur, altera ad Meridiem, altera ad Septentrionem; quantùm ſubjecta viridaria, cujus radicibus inhæret, extenduntur. Suspenditur utraque ab Oriente immenſis planè porticibus, quæ regiam molem ingentibus pilis impoſitam fulciunt. Ab Occaſu verò deſpicit viridaria muris undique circumſepta, myrteis florum labyrinthis, diſtinctis undique limitibus Mathematicos in orbes, quorum in medio proſilit fons uberrimus marmoreis ſignis, varioque aquarum luſu nobilis. Vltima tandem Regii ædificii ſedes duplici coronatur Palatio, in modum Conopei conſtructo, eminentiori ſupercilio circumducta ex omni parte ædium coronide, ut ſine fuco credere poſſis in uno ædificio plura contineri Regiæ munificentiæ ornamenta. Denique, ne ullus deſideretur voluptati Principum locus, immenſum à Meridie ferarum Vivarium explicatur, aptiſſimum venationi. Hic domeſticâ ſolitudine ſilveſtre genus nutritur, pluribusque Cervorum Damarumque gregibus, & cæteris feris ſilva redundat, miro plantarum ordine diſpoſita. In ultimâ tamen parte Vivarii, quæ Padum reſpicit ab Oriente, ſpatioſum ſeſe brachium ædium effundit, ad ripam fluminis, elatiori ſub finem faſtigio cæteris conclavibus adnexum, accommodatum ſcilicet poſt venationem receptaculum. Hæc igitur totius Valentini moles, Regium planè Chriſtianæ opus, feliciori compendio Ichnographia oſtendet unico intuitu, artis & magnificentiæ miraculum.

Ferarum Vivarium.

VIL-



VALENTINUM

Christiane a Francia Sabaudiæ Ducissæ

Caroli Regina et Imarum a regalibus Sororibus

Augustorum, ac Eolum Margaritæ

VALENTINI

Prospectus

versus Eridanum


CAPUCINORUM IN SUMMO MONTE SUPRA PADI RIPAM COENOBIUM

CUM SUA Á CAROLO EMANUELE SABAUDIÆ DUCE POSITA, EXIMIÆ STRUCTURÆ BASILICA





BASILICÆ FF. CAPUC[illegible]
in Eridani margine prope Aug. Tauri. prospectus Interior.



VILLA MONTANA.

AVgustâ Taurinorum, quâ vergit ad Orientem, prodeunti, Collis occurrit, adverso longoque tractu, benefico Naturæ studio productus, & vix à Suburbio Pado leniter interfluente difficilius, amœnissima deliciarum oportunitas, quam Civium solertia otiosam minimè passa est, Suburbanis passim ubique positis, & quà se attollit in clivos, & quà se in valliculas demittit, vario semper & æque amœno prospectu. Hujus è medio, primo vix ab Vrbe lapide, desuper impendet adverso Valentino Villa Montana (appellant vulgò *Vigna di Madama Reale*, quòd magnæ Christianæ opus sit, hoc etiam olim addentis magnificentiæ suæ perenne Posteris argumentum.)

Nomen.

Amœnitas sitûs.

Hanc amœnitas sitûs primò commendat, præcelso quippè edita loco, latè circumfusam totius Pedemontii Planitiem circumducto prospectu complectitur. Accedit antiqui Nemoris decus, in editiori ad Orientem vertice, perpetuò vernantis, cujus amœnitas primò Christianam Ducem, ut poneret ibi Villam, pellexit, addito artis cultu, distinctum quippe nunc visitur pluribus rectisque ambulationibus, hinc indè gemino plantarum ordine protectis. Parte aliâ peramplum exhibet Labyrinthum, quem densata è lauro æquabili, viretoque alio tonsili sepimenta reddunt ambiguo flexu implicatissimum. Moles ædium, fortasse maxima inter cætera Regiæ Celsitudinis Suburbana, enormes & planè Regias hausit expensas, tum vastitate suâ, tum, quòd opus fuerit immanibus circumquaque substructionibus, colli, quà parte cessurus imminet, fulciendo, & rivulo, ab alto labenti terramque exedenti pertinaciter, declinando.

Descriptio Ædium.

Structuræ Ædium.

Structura omnis ita, & magnificentiæ & artis partes explet universas, ut Eques Berninus, Architectus totâ Europâ celeberrimus, Româ Parisios concedens, visis in transitu Sabaudæ Regiæ deliciis, hanc unam omnibus præferre non ambigerit. Totius moliminis quadrata figura est, latitudinem quater longitudine excedens, singulisque in angulis turritâ projecturâ, structilis in speciem Tentorii (vocant Gallicè *des Pavillons*) æqualiter assurgente terminatur. Antica facies ad Occasum prona est, mediaque pars, angularibus parallela tentoriis, æqualiter prominet, speculamque supra communem altitudinem porrigit, geminis à Borea & Austro sese infra pandentibus Hypæthris, cancellis è marmore circumseptis, statuas aliquot per justa intervalla sustinentibus.

Partes inferiores.

Partes ædium inferiores Hypogeum domesticis secretum officiis prementes domicilia omnia arcuata suspendunt; Ephebeo, Pædagogio, & Aulicorum sedibus magnificè suppetunt.

Pars media.

Pars media, quatuor in Sedes divisa, singulas Rege dignas, Principibus ipsis addicta est: in unaquaque quatuor conclavia lacunata, auro picturisque conspicua; laquearia quippe singula genus quoddam exprimunt deliciarum, quà florum, quà fructuum, quà silvarum, quà venationum. Ex his sedibus, per oppositas sese mutuò respicientes Ianuas, in majorem pervius est aditus Aulam, miræ amplitudinis, concameratam, justæque altitudinis testudine, Virtutum Regalium delicias, variis Pictorii Ingenii lusibus referente.

Partes superiores.

Mediæ huic Aulæ superimminet alia, superâ in Ædium parte, Speculæ in morem (vocant Itali *Belvedere*) cui per quatuordecim fenestras pervius prospectus est totius circumjacentis latissimè Regionis. Per quatuor è marmore scalas, superiores

adeuntur Ædes, sed præcipua sese in facie, Solem ad occiduum prona, dextrà levàque tollit, marmoreis clatris parte aliâ defensa, primoque occurrit scandentibus Aulæ Vestibulum, gemino sese pandens ad Occidentem arcu marmoreis intercolumniis suffulto; Vnde præclarus Valentini prospectus longo ductu adversum Fluminis marginem exornantis magnificè.

Demum in plano circumquaque cursat æquabilis area, quà in Viridaria, vel itur, vel scanditur. Quinque nempe circumornant, præterquam ad Occasum, horti. Qui Meridiem, Boreamque, & medius, qui Orientem respiciunt, paralleli in eodem sunt plano; secus verò duo, qui hinc inde medium majus Viridium complectuntur. Licet enim multum de tumore Collis detractum ad Ædificii, Areæ, hortorumque planum, ne tamen deesset varietas, loci retrò eminentis naturam, arte obsecundante, secuti, pensiles quasi hortos posuere, lateritiis substructionibus fultos, quas omnes, necessitati etiam ornandæ frequentibus discriminarunt loculamentis, in iisque singulis statuæ ubique dispositæ. Ad hos è mediis sedibus Principum per binum structilem pontem ascensui redimendo positum, quatuor è marmore columnis suffultum, patet ingressus. In omnibus figuratæ è Myrto tonsili visuntur Areolæ, quæ fructiferis topiario opere arbusculis circumseptæ medium claudunt Fontem, cavatum in orbem projectos aquarum lusus refundentem.

Quinque horti.

Medius Hortus adversus impendenti ab Ortu Nemori conspicuus maximè est omnium; quadratus enim incipiens in ovatum definit, quà Collis imminens geminum in Theatrum effossus est, unum alteri insidens, & desuper ex inferiori Pomario mirantibus impendens. Gradus ad hæc quatuor è marmore, obliquo in occursum flexu, marmoreisque hinc inde cancellatim septi balaustiis, parant ascensum. Amplissimum muri ambitum, ab Austro ad Boream producti, superambit Ambulacrum edolatis elegantèr testudineatum figillis, & vitium ramis, sese utiliter insinuantibus, opacatum, quod subdialibus ambulationibus in umbrà teratur; simul ad ornatum ubique statuæ visuntur, inter æquè distantia signa, pergulam fulcientia, collocatæ. Qua verò procurrere definit ad Aquilonem murus, ad Meridiem pronæ jungitur ingenti Cellæ, citris aurantiisque per hyemem tutandis concameratæ. E Pomario demum Boreali egredientibus occurrit longa Xystus, quæ ulteriùs in Aquilonem rectà procurrens, quercu plurimà hinc inde justis intervallis dispositâ, ducit ad Sacellum magnificè extructum, quatuor supra viginti marmoreis columnis exteriùs circumfultum, perenne futurum magnæ Christianæ pietatis, etiam inter delicias cultæ, monumentum.

Medius hortus.

Ambulacrum.

Xystus longa.

Sacellum.


CHRISTIANÆ A FRANCIA.

SABAVDIÆ DVCISSÆ. CYPRI REGINÆ, &c.

VINEA MONTANA,

juxta Valentinum.





Thomas Bagnius inv. & delineavit. Ioannes Blaeu excudit.

VINEA TRANSPADANA
SER.ma PRINCIPISSÆ
LVDOVICÆ
A SABAVDIA.



VINEA TRANSPADANA

SERENISSIMÆ PRINCIPISSÆ

LVDOVICÆ A SABAVDIA.

INter cætera, quæ ſitûs opportunitatem commendant, in quo poſita Civitas Taurinorum, Mons eſt non longè ab Vrbe diſſitus, quem non præruptum ſaxa, non incultum Sylvæ, nec cæli rigor inhoſpitalem reddit; ſed fœcundum mollities ſoli; villis frequentem, collium tumores, & vallium amœni receſſus. E Civibus pauci ſunt, qui domicilium ad delicias hoc in monte non habeant, tanta eſt loci primo vere amœnitas, tanta etiam æſtivo tempore meſſium ubertas; tam plenæ, & lætæ Autumno vindemiæ.

Sed inter alia quæ paſſim conſpicua ad ſe oculos trahant, Vinea eſt Sereniſſimæ Principiſſæ Ludovicæ à Sabaudia, quæ è conſpectu Vrbis viſitur ſuâ mole ſpectabilis. Ad illam rectà ducit è Padi Ponte, eaque latiſſima, & facilis aſcenſu via, conſitis hinc inde arboribus opaca, quæ aream primam vineæ eodem ordine complectentes ad dexterum latus in Sylvam excurrunt.

Hujus areæ in medio varii aquarum è fonte ebullientium luſus, & tonſili è Myrto viridarium includitur marmoreis ſeptis. Hinc ad Palatium per gradationes è marmore aditus patet, cujus faciem exteriorem ſuffulta columnis Podia, & opportunæ ad proſpectum ſpeculæ exornant. Capaciſſima interiùs Domus eſt; in ea enim excipiendis Principibus, ſive in ſuperiori, ſive inferiori ædium parte longo ordine diſpoſita videntur cubicula. Hic conclave prænobiles Matronæ, hic ampliſſimam Domûs partem Aulici, hic Ephebæum juvenes, hic habent Gynecæum mulieres, & famuli omnes pædagogium.

Ad Orientem mons leniter aſſurgens objicitur, qui in viridaria, & in ambulationes exæquatus Theatri ſpeciem exhibet, in quo per gradus ab una in aliam ſcenam amœnitatis conſcenditur, variam tamen ſemper, & nunc fontium perennitate, nunc florum ſuavitate fragrantem, nunc arborum opacitate jucundam.

MILLEFLORES.

MIlleflores, ſuo dignum nomine Sabaudi Ducis ſuburbanum, ad vernas voluptates, & Floræ delicias, ob miram florum varietatem, tribus ferè ab Auguſta Taurinorum milliaribus extructum eſt. Situs amœnitas, ac Villæ gratia, inter naturæ, atque artis miracula numerandæ viderentur, niſi, & artis ingenium in tanta liberalitate naturæ vileſceret, & natura propemodùm ab artis opificio vinceretur. Neutra tamen vincit, neutra vincitur; artem enim natura coëgit ad ingenium, ars naturam reformavit ad elegantiam. Planus ad eam acceſſus, itinere nullâ, nec collium acclivitate, nec aſperitate ſaxorum intercluſo, ut cùm eo placidiſſimè ſine corporis, animique fatigatione perveneris, mireris te repente, planâ viâ profectum, in amœniſſimi collis ſupercilium evaſiſſe, ac neſcias quonam naturæ miraculo tam ſubitò, æqualis, ut apparebat, ex omni parte planities, elata in collem excreverit, vel in vallem, tellure momento deficiente, depreſſa jacuerit. Ita namque uſque ad mortalium delicias ludit natura, novamque rerum pulcherrimarum ſcenam inexſpectato aperiens, uno eodemque in loco, multiplici locorum varietate animum, adhuc de prodigii veritate ambigentem, in admirationem ante ſuſpendit, quàm convertat ad hilaritatem. Hic ſolum ex plano, velut in præceps declive in ſubjectam longiſſimo intervallo planitiem rapit aſpectum, quamvis nec liceat oculis liberè divagari, cùm & iter oculorum varietas occurrentium deliciarum ad voluptatem diſpoſita intercludat. Nullum ſanè locum non in adjacentibus modò regionibus, ſed in Italia univerſa magis à natura, ad omne genus amœnitatis comparatum, nullum quod theatrum jucundiſſimi proſpectus pro nomine ſuo ſibi jure vindicaret, curioſi deliciarum exploratores repererunt; nam quamvis reliqua, quæ uberrimè ſuppetunt, voluptatis argumenta deeſſent, ipſa locorum inexſpectata mutatio, ac nova rebus inopinato facies inducta incredibilem faceret amœnitatem. Hinc liber in ſilvas, & ſubjacentia prata deſpectus. Hinc animi per camporum ſubterfuſam æquabili inæqualitate planitiem excurſio peramœna. Hinc oculis modò per ſaltus, ac nemuſcula ſuis in ordinibus ad numerum vireſcentia, modò per agros lætiſſimâ viriditate florentes, modò per vineta, immenſamque camporum vaſtitatem evagantibus, labyrinthus intextus ubique deliciarum. In hac Regia amœnitatis, aſſurgunt regali magnificentiâ Principum ædes auguſtæ; quarum partes univerſæ, admirabili artis magiſterio diſtributæ, ita oculos perſtringunt, ut neſcias plusne Principum magnificentiæ debeat ædificiorum amplitudo, an verò laudis in ornanda ad delicias amplitudine ingenium artificis mereatur. Hic aulæ ampliſſimæ in multiplicem ſeriem cubiculorum ſibi reſpondentium, ac mutuò, dum ſeſe longiùs refugiunt, incurrentium ſibi, aperiuntur. Parietes ac tecta quà pretioſis aulæis, quà picturis elegantibus, quà ferè per contemptum auro temerè congeſto intermicant. Mitto viridaria auguſtiſſimis ædibus circumducta, quæ perennibus lymphis, ex fontibus miro artificio elaboratis profluentibus, irrigua univerſam Floræ familiam, veluti patrio in ſolo ſponte ſuâ progerminantem enutriunt. Neque enim ibi curioſiùs flores explorare neceſſe eſt, ubi & nomen ipſum ab incredibili florum fœcunditate uberrimè effloreſcit.

PAR-

MILLEFLORVM
Ad Septentrionem cum Amphitheatrali
ad ingressum porticu, atque Area,
quam morte praeventus Victor Amedeus I.
Dux Sabaudiæ non absolvit
Ichnographia.

A

MILLEFLORVM,
amœnissimi naturâ, atque arte
delicii, ad Meridiem prospectus.

PARCVS VETVS,

CELEBRE

FERARVM VIVARIVM.

VBi datur egreſſus Taurinenſi ab Vrbe Septentrionem versùs, trajectâ ſtatim per pontem Durià, ingens nemus occurrit, quod Parcum novum appellant, non minùs privatæ Principum Sabaudiæ, quàm publicæ Civium deliciæ. Nam opportunitas Loci, compoſitis undique plantis, variosque in tractus diſtinctis, aperit hinc inde ſcenam novo ſemper ſpectaculo, populique frequentia dignam. Tandem confecto ad mille paſſus itinere, umbroſos inter calles ad Parcum veterem pervenitur, amplitudine ſpatii, & arborum vetuſtate celeberrimum.

Parcus novus.

Parcus vetus.

Hic alta ædium moles aſſurgit turritis arcibus munita, aptiſſimum ſcilicet poſt venationem receptaculum, conclavium numero, & ſplendore ſpectabile. Ad latera verò protenditur utrinque viridarium florum labyrinthis, & ſublimi in medio pyramide, marmoreis ſuffultâ ſignis, conſpicuum. Inde per multos gradus patet deſcenſus ad varios limites, quorum in medio ſubterranea ſpecus latet, intimis, externisque ornamentis arcuata, quæ brevi tractu ducit ad uberrimam aquarum copiam, vehendæ cimbæ capacem.


Immenſum denique ferarum Vivarium producitur, circumducto undique muro defenſum ad bina circiter paſſuum millia, ubi cervorum, damarumque greges pacificâ ſtatione ſervantur. Hic mediam inter planitiem Sylvarum horror domeſticâ ſolitudine varium ferarum genus cuſtodit, & annoſa plantarum magnitudo ardeis præcipuè locum præbet aptiſſimum, ut ſuſpenſis in faſtigio nidis, ſecuros partus enutriant.

Habet hæc Sylva ſemper paratas ſoli Principi ad venandum voluptates, plurimisque viarum erroribus hinc & inde diſtincta æſtivos ubique ſoles defendit. Magnam nemoris partem triplex flumen coronat, fœderatis in extremo confinio aquis, ne ſcilicet deeſſent proximæ piſcandi deliciæ, quas etiam cum venatione opportunitas loci communi fœdere conjunxit.

PARCVS

SYLVOSVM SABAVDI DVCIS PRÆDIVM

Ædibus, Hortis, Et Ferarum vivario Nobilitatum



REGIA VENATIO.

INter amœna Regalium deliciarum oblectamenta, ad quæ Regia Ducis Sabaudiæ Celsitudo, in curarum levamen, divertere consuevit, primarium procul dubio locum obtinet Villa omninò visenda, quam modò VENATIONEM REGIAM dicunt, tribus, non amplius, passuum millibus à Taurinorum Augusta distans. Id nominis impertivit CAROLVS EMANVEL II. Dux, quòd exercendæ Regio more venationi locum aptissimum judicaverit. Nam ultrà Clarundam fluvium, incolis *Seronda*, qui ponè allabitur, vastissima ager finitimus habet nemora, dicta vulgò *il gran paese*, in quibus non modò volucrum, verùm etiam quadrupedum sylvestrium copia ingens alitur, leporum præcipue, cervorum, capreolorum, dorcadum, damarumque, quas privatus homo occidere sub pœnis gravissimis prohibetur. Non ita pridem is locus Altesanum superius dicebatur, eo forsitan vocis etymo, quòd situ super prædicti amnis ripas eminentiore, *altus*, ac *sanus*, sui cæli salubritate prodesse creditus fuerit hominum valetudini. Constabat olim paucis tantummodò inhabitantium casis. At ex quo præfatus Dux in eam curam incubuit, ut eundem locum augeret, ac decoraret, in tantam crevit amplitudinem, ut non jam Rusticorum domiciliis, sed continuatis Palatiis, magnificentissimisque, ad instar ornatissimæ Civitatis, ædibus constare videatur: eò majori rem attentiùs considerantium admiratione, quòd sæculo vix absolvendum opus, paucorum annorum spatio Princeps unus, licet aliis, tam citra, quàm ultra Montes, quà publicis, quà privatis, maximique sumptus, ædificiis occupatissimus, propriâ industriâ potuit, propriâque impensâ perficere. Quòd verò hic ille præstiterit, satiùs erit, ob rerum copiam, prætereundo indicare, quàm, ut in aliis facere conati sumus, peculiariùs immorando describere.

Nomen.

Nominis auctor.

Antehac Altesanum superius dictum.

Igitur Taurino per Portam Palatinam egressis, post emensam longè lateque patentem agri planitiem, dictam *la Campagna*, quæ arborum, virgultorumque omninò expers, alendo pecori pabula gignere tantùm finitur, dirigendisque, ac lustrandis est perquam commoda aciebus, procul se suspiciendam præbet nova REGIÆ VENATIONIS extructio. Vt proximè accesseris, viam ingrederis stipatam, longâ rectâque serie, frondosis hinc inde quercubus, sive ulmis jucundum ab æstivi solis ardoribus tutamentum. Viæ extrema excipit ingens area, in hemicycli speciem efformata, quam duæ debebunt intersecare in diversâ tendentes viæ ductu diagonali, hæc quidem ad Clarundæ fluminis ripas, illa verò ad Cœnobium, quod B. Mariæ de Campania vocant, Capuccinorum. Ingressis per triumphalem Arcum, marmoribus diversimode sculptis insignem, licet nequaquam hactenus absolutum, interior sese latissimè pandit via, spectanda ad summum usque Regium Palatium, non minus 500. passuum longitudine, elegantibus hinc inde, æquali fastigio, ædibus septa, Magnatum sumptibus Aulicorum, qui dum Principi suo rem gratam faciunt, Vrbanis non invident commodis, quoties eò divertere jubent, vel invitant ejusdem Principis mandata, obsequiave. Advenis, exterisque excipiendis, quos ad locum visendum, vel ex remotis locis, sæpè attrahit curiositas, plura prostant de novo ædificata cauponaria hospitia, & diversoria, eâ rerum copiâ cumulata, quâ adventantium

Situs.

Loci descriptio.

Textrinæ. non modò necessitati, verùm etiam deliciis satisfiat. Insunt etiam Textrinæ plures, tam lanei quàm serici operis, in quibus periti Artifices, ex Italia, Gallia, Batavia, Angliaque conducti, in Pedemontano tractu nondum elaboratis dant operam lanificiis, serificiisque, eadem in diversas terrarum plagas distracturi, emolumento non pœnitendo. Addidit Princeps amplum sphæristerium, aliaque hujusmodi ludicra exercitamenta, procul pellendæ à juventute otiositati, firmandisque viribus corporis opportuna. Insunt præterea singulis hisce, tàm privatis, quàm publicis ædificiis spacioſa ad ingressum Atria, quibus succedunt amœna Viridaria, diversi generis floribus, oleribus, pomiferisque arboribus consita, in quibus arte exculta ubertim germinat, quæ parturiendo non erat alicubi soli sterilitas, suapte naturà infructuosi.

Sphæristerium.

Forum. Tertiam vix partem emensis occurrit peramplum Forum, quadratæ omninò formæ, verùm duobus, post continuatam porticum introrsum abiens ad latera hemicyclis, quorum mediam curvaturam duæ ejusdem penè frontispicii, intispiciique ornant Basilicæ, una quidem jure gaudens parochiali, Nascenti Deiparæ, altera verò D. Eusebio Vercellensi Præsuli, & Martyri consecrata. Hæc erit Religiosorum Virorum sollicitudini committenda, quorum etiam erit informare litteris, ac eorum quæ ad salutem spectant notitiâ juventutem. In utriusque diametri umbilico eminent binæ spirales, multicoloresque celsitudinis non spernendæ columnæ, quæ à Parii marmoris eleganti statua naturalem mensuram excedente fastigiantur. Harum una eandem Deiparam, altera verò Gabrielem Aligerum repræsentans, Marianam designat hinc inde Annunciationem, ergà quam Regia Domus Sabaudiæ peculiari Torquatorum Equitum symbolo devotiùs est affecta. Basilicæ prioris, quæ est ad dexteram venientium, Numen edocet fronti hisce notis insculpta Epigraphe:

Basilicæ duæ.

NASCENTIS VIRGINIS
PROPITIO NVMINE HOROSCOPANTE,
NOVI OPPIDI NATALES
CAROLVS EM. II.
INAVGVRAVIT.

Alterius, quæ ad lævam, talis est Inscriptio:

SANCTO EVSEBIO
CATHOLICÆ RELIGIONIS PROPVGNATORI
NOVVM OPPIDVM A RELIGIONE EXORDIENS
CAROLVS EM. II.
TEMPLVM INSTAVRAVIT.

Forum alterum. Viæ totius extremum recipit aliud Forum ad Theatralis areæ formam, marmoreis circumdatum cancellis, columellisque, quibus superstant veteres rarioris sculpturæ statuæ, terminatæ duobus ab utroque latere, ubi Fori curvatura definit, obeliscis. Scenæ Theatralis vicem supplet ædificii ex adverso spectandi protensa ad totius diametri longitudinem facies, cujus centrum ornat, aditumque in interiorem Regiam pandit superbè prominens Porta, simulacris, pyramidibusque marmoreis, necnon æneo in summitate cervo conspicienda. Hypetrum subdiale, munitum cancellis ex candido marmore fabrefactis, eandem faciem, quam longa est, supernè coronat, nectitque tecto utrinque solario, ad cujus Australem angulum

Primi Reg. ædium palatii descriptio.

do-

domestici Sacelli vicem præstat non inelegans Templum Virgini Matri, Divoque Rocho nuncuparum, in cujus Ara D. Huberti Martyris sacra lipsana, eò ex Vrbe advecta, thecâ argenteâ asservantur. Antequam Atrium ingrediaris, inlectam nefas fuerit præterire, quæ ibi prostat, Italico metro conceptam Inscriptionem hujusmodi,

Templum Virgini Matri & D. Rocho dicatum.

QVESTO A VN GENIO GVERRIER GRADITO HOSTELLO
DELLE CACCIE REGALI
FONDÒ IL SECONDO CARLO EMANVELLO,
PER AVVEZZAR GLI STRALI
DELLA DEA DELLE CACCIE A QVEI DI MARTE,
CHE LA CACCIA, E LA GVERRA E VN' ISTESS' ARTE.

Atrium prius.

Atrium porrò, non modò amplitudine, verùm etiam circumcirca ejusdem quadraturam explentibus ædificiis commendatur; præcipuè verò continuatà ex tribus lateribus porticu, sive Xysto, sub cujus fornice disposita longo ordine videas ramosa cervorum capita, venando manu Principis occisorum, additâ tabellâ, tempus, locum, ac prædæ ut assolet Indicem exprimente.

Atrium posterius. Cervi dictum.

Huic Atrio aliud amplioris admodum formæ succedit, ad quod datur accessus per marmoream elaboratæ omninò structuræ Portam, horariâ Turre suspiciendam. Atrium Cervi vocant, eò quòd in plures divisum vias latè patens, ac à quatuor sibi invicem respondentibus, citrinisque arbusculis distinctis florilegiis intersecatas, in sui meditullio visendam omninò piscinam claudat, insequentes Cervum Canes per dispositos quaquaversum fontes, aquarumque ejaculationes repræsentantem. Eam sic industria periti finxit Artificis. Piscinæ ipsius ad octangulum ex candido marmore efformatæ medium centrum signat ex montanis tophis rusticè compositis, imò veluti è fundo emergens scopulus, super quo erectus in pedes ingens ex ære Cervus, ut ab allatrantium sibi duodecim ex eodem marmore Canum, ac æqualibus spatiis aquas æreis linguis ejaculantium se morsibus tueatur, totidem in eos per os patulum, & effusa cornua vibrat aquarum eruptiones. Ad marginis flexuram super marmoreis basibus quatuor marmorei Venatores, ut in fugientem excitent Cervum Canes, pro clangoribus, vocibusque, aquas ipsi etiam ejaculantur ex inflatis cornibus in Piscinam, non sine peculiari, insuetum illud venandi genus spectantium, voluptate.

Piscina.

Palatium Regium, quod totius Atrii septum claudit ad occidentem solem, vestibulo aditur, sectis magnæ molis lapidibus strato, quatuorque marmoreis gradibus ascendendo. Vestibuli latera binæ ornant, Atlantum, seu Telamonum loco, ex nigri coloris marmore hinc inde Statuæ, naturalem magnitudinem excedentes, quatuorque Æthiopas captivos repræsentantes, qui vasa ænea, in quibus Medica egit altas radices malus, exertis brachiis, curvatisque sustentant humeris.

Palatii Regii descriptio.

E vestibulo per quindecim gradus itur per porticum sex columnis marmoreis sustentatam, tum in peramplam Aulam pictis quaquaversùm imaginibus suspiciendam, in quibus spectes ad vivum repræsentata quæcunque occasione Regalium Venationum fieri à Sabaudo Duce consuevère: vel cùm feram minax insequitur, vel cùm fugienti, gladio armatus, instat, vel cùm necatam jubet canibus dispertiri. Ibi Venatorum accessus, recessusque, servorum, pedissequorumque accursus, anhelantes canes, spumantes equos, momento videas. Ibi obsequentes Proceres, Matronas, Domicellasque, Amazonidum habitu equitantes, dignoscas facie ad vivum effigiatâ. Ibi denique mireris

magnanimum Principem, cum individuâ sibi Conjuge, cominus, eminus omnia disponentem. Nec desunt Regalia, Deorum mensis non absimilia, nemora inter opaca, convivia, curruumque longo ordine sequelæ, ac quadrigarum. Ex hac Aula, non modo per posticum in hortos, ac latè surgentes sylvas descenditur, verum etiam in reliqua itur Regii Palatii Conclavia, Oecos, Proceſtriaque, supellectile maximi pretii adornata, in primis verò eâ, quam pictura, sculpturaque, undique conquisitam pecuniosо Principi, æquoque rerum æstimatori suppeditarunt.

In quinque porrò exsurgit moles tota Contignationes. Prima, licet opere fornicato sub terris ex parte latens, nihilominùs ex dispositis super ima basium laxamenta fenestris plurimam lucem haurit, quâ Regiæ familiæ Coenacula inibi sita exhilarentur. Secundam reliquarum præstantissimam, quatuor distinctam amplissimis concamerationibus, ipse Dux suæ delegit pernoctationi, dispositis ad vernam, æstivam, autumnalem, hybernamque habitationem diversis, quæ Subsolanum, Boream, Hesperum, Austrumve, pro tempore, spectant ædibus. Eas simul omnes Dianæ Regiam appellavit, ejus nimirum Deæ, quam Poetarum figmenta præesse venationibus tradiderunt. Hinc factum fuit, ut in summis fornicibus, parietibus, zophoris, antis, antepagmentisque, expressa videas peritâ Pictorum manu quæcunque de eo Numine digniora memoratu finxit antiquitas, unà cum symbolis, emblematis, hieroglyphicisque rerum, naturâ, sive arte, illustrandæ venationi accommodatum: additâ Italicâ Epigraphe sensus mysticos, qui ad mores pertinent, indicante, quæ omnia magni illius politioris litteraturæ Opificis Emanuelis Tesauri, de quo semper Pedemontana Patria gloriabitur, acutissimum prompsit ingenium. Tertia, quartaque Contignatio habent percommodè distincta Procerum, atque Aulico-Præfectorum mu-

Dianæ Regia.

neri habitacula: habent Nobilium Matronarum, ac Puellarum, reliquarumque inferioris ordinis Fœminarum, Gynæcea. Ex quintâ, summo Palatii totius fastigio, licet arctioris, quam cæteræ, quadraturæ, in circumstantes agros, ac in procul eminentes Alpes, totamque fermè sub Alpibus sitam Oram Pedemontanam, longè latéque prospectus patet, unde eam dictam voluerunt Italicè, *Il Belvedere.*

Ad Meridionale hujus Regiæ latus, alia, ab hoc omninò distincta, licet visere ædificia, memoratu digniſſima, ac spectatu. *Infernetus* (sic Pedemontani vocant pro loci profunditate eum, qui videtur gulæ sectatoribus Paradisus) sicuti primus sese omnium offert, quamvis sub ima tellure conditus, ita inter Venationis Regiæ spectabilia non ultimum locum obtinet. Hanc partem Princeps est, ut reliqua, ingeniosè admodum, præterquè consuetam formam architectatus. Eò per marmoreos gradus descenditur, donec quis naturalem putealis aquæ scaturiginem nanciscatur, quam vel solâ manu haurire possit, nisi ad degustanda ibi recondita vina, omnium exquisitissima, suâ sponte magis alliciatur. Ea servantur exiguæ molis doliolis, quæ sena, & sena in formam aptata pyramidalem sub fornicatis cellulis, muri crassitiem non excedunt. Arcus, qui cellas formant, duodecim numerantur: horum tamen decem tantummodò sunt Bacchi custodiæ deputati, reliquos Ianus habitat, atque Tethys, unus enim ingressui servit egressuique, alter puteo inibi excavato. Tota verò *Inferneti* moles ovalem figuram præsefert à supernè relicto impluvio orbiculari illuminatam, eamque Princeps sibi, atque hospitibus sibi charis non raro deligit pro æstivâ pranſitatione, sive cœnatione, eò quod dum Sirius agros urit, frigidissimam, in æstuantium corporum solatium, servet hyemem. *Infernetus*

Vt succederet Brumæ Ver, utque exciperet Bacchum Flora, hinc non longè

longè constructum fuit nobile ædificium, dictum vulgò *La Citronera*, tuendis hyberno tempore à frigidi Cœli injuriis malorum citriarum arboribus destinatum. La Citronera. Earum in ligneis, Samiis, æneisque vasibus copia ingens suppetit, quæ sylvam mobilem, ac huc illuc translatu facilem repræsentant. Quòd ad ædificium attinet, exterioris faciei prospectus ordinis Dorici simul, ac rustici leges servat, distributâ longitudine in decem parastatas striatas ad latera, duasque columnas in medio, fasciis religatas; additis marmoreis cancellis, statuis, aliisque diversi generis ornamentis, Italicique metri sequenti Districho:

Qui dell' horrido verno entro i rigori
Flora conserva intatti, e verdi i fiori.

Interior structura habet centum passus longitudinis, latitudinis verò sexdecim. Fornicem præaltum sustinent parastatæ viginti, signis simulacrisque, Pastores, Nymphas, Geniosque hortorum repræsentantibus, recto ordine ornatæ. Perennium aquarum rivi interlabuntur, plantis, cùm necessitas postulat, irrigandis, atque aëri humectando. Hinc fit ut locus æstate, per adaperta ostia, fenestrasque, zephyros lenes spirans, hyeme caloris humorisque arte introducti beneficio, vernam servet amœnitatem, atque adeò utroque anni tempore, non ingratè à Principis assectis frequentetur.

Volucrum Cellulæ & atriola. Phasianorum, perdicum, aliarumque peregrinarum volucrum cellulæ, atriolaque non procul absunt. Hæ à suis Custodibus alitæ ratione peculiari, propriam speciem brevi temporis spatio sic multiplicant, ut, postquam per æstatem, domesticarum instar gallinarum cicures, jucundo fuerunt spectaculo vivarium invisentibus, mensis per hyemem jucundiùs apponantur.

Indè si ad sinistram flexeris, devenies ad opacum formæ quadraturæ septum, in quo plantatæ ad angulos partim rectos, partim obliquos, frondosæ quercus piscinam pro medio centro habent.

Equorum Canumque stabula. Visuro demum perampla illa equorum canumque stabula, occurrit Cohors utraque dirimens, ducentùm ab Ortu in Occasum passibus longa, porticibusque, pari hinc inde altitudine, ad duo extrema eadem jungens stabula. Equi ad Septentrionem, canes verò ad Meridiem stabulantur. Hi tribus distincti pro sui diversitate cubilibus, cùm suis circumcircà non ultra duos palmos à solo eminentibus tabulatis, irriguisque juxta canalibus, cùm libuerit sitim levant, ac ab omni immunditiâ expurgantur. Statis verò temporibus ad id, quod superiùs dixi, septum, atque piscinam exercitationis, atque lavationis gratiâ emittuntur à Custodibus, quorum supra Canile sunt habitacula. Equi ad oppositum latus magno numero curâque aluntur, continuatis hinc inde longo fenestrarum ordine, præsepibus, quibus nil videas ad equorum necessitatem commodius, ad structuræ eurythmiam elegantius. Supernè stabularii, hinc inde verò in separatis hospitiis degunt Nobiles Regiæ deputati venationi, aliique, quorum muneris est equis canibusque invigilare. Hæc de Regia, ac iis, quæ Regiam proximè ambiunt, ædificiis satis, nunc ad ea, quæ extra ejus ambitum, Septentrionem versùs, ac Occidentem restant, currenti calamo festinandum.

Ad Septentrionale Palatii latus, per geminas marmoreas scalas sibi invicem respondentes, septasque statuis, ac cancellis, descenditur ad Viridarium non minùs quingeatis passibus longum, secus Clarundæ fluminis alveum. *Viridarium inferius.* Occurrunt primò duæ amplioris receptaculi Piscinæ, in quas per occultos canales ingens sese effundit aquarum vis, jucundum tractarum aliorumque diversi generis piscium exquisitissimorum Vivarium. Viridarii spatia interfecant sibi invicem occurrentia ambulacra, in quatuor Piscinas minoris ambitûs desinen-

nentia, ubi dispoſita marmorea ſimulacra aquas in diverſa tanto artificio ejaculantur, ut nil hilarius feſtiviusque ars ludere queat ingenioſa. Neque verò hic ludicrarum aquarum finis: nam murus, qui ſuperne hoc dividit Viridarium, multiformes octo ad certa ſpatia habet fontes, qui in ſubſtructas urnas, conchas, pateras, aliaque hujusmodi receptacula fundunt aquas ex ruſticanæ ſtructuræ cryptis, in quibus peregrinarum formæ rerum, muſivaque ex marinis diverſarum ſpecierum conchyliis ornamenta.

Viridarium ſuperius

Vt toto ſimul inferioris hujusce Viridarii obtutu gaudeas, in ſuperius aſcendendum, quo Regiæ quamvis longitudinem, latitudine ſuâ, non excedente, amœnius nihil videas, ſive multicolores florum diviſiones, ſive caſtigata ferro buxeta, ſive odora citriorum arbuſcula, ſive marmoreorum ſepta cancellorum, ſive quaquaverſum dispoſitas ſtatuas contempleris. Extremam ad Solem occiduum longitudinem claudit in theatri formam ambulatio ſubdialis, multimodè ornata columnis, ac ſimulacris, ex qua per trinas, in formam triumphalium Arcuum egreſſiones, deſcendere licet ad Fontem Herculeum, atque inde ad Fanum Dianæ, de quibus peculiaris erit ſub ſua Scenographia agendi locus.

Reſtat ad horum omnium lævam, Auſtrum versus, Roborarium muro ſeptum continuato, cujus tanta eſt amplitudo, ut ægrè quis, niſi equo uſus, percurrere totum queat. Ergò quantùm ſe ibi oculorum diffundit acies, agri planities diviſa in plures vias, quà rectas, quà transverſales, atque ad certa ſpatia invicem interſectas, frondoſas longo ordine alit quercus, nec non viridantibus ridet pratis, ubi amica umbra, interlabentiumque aquarum murmur deambulationem ſuadent locum viſentibus perjucundam. Ibi non modò multipliciter ludendo animi ſimul, & corpora exercentur, verùm etiam venando, quoties Principi libet, feras, quæ ibi de induſtria aſſervatæ, quæ dixi prata gregatim depaſcuntur, retibus includere, gladio petere, venabulo figere, jaculove. Vtque nihil omninò deſit ad paratæ excitamentum venationis, adſunt generoſi emiſſariorum, ac admiſſariarum equini generis greges, ex quibus ſoboles fictæ veræque belligerationi aptiſſima propagatur. Hæc de Regia Venatione in univerſum ſatis.

Roboretum.

FONS



REGIARVM
VENATIONVM
ÆDES REGIÆ
A CAROLO EMANVELE II.
SABAVDIÆ DVCE, PRINCIPE
PEDEMONTI, CYPRI REGE, etc.
Ad omnem ad oblectatum omnis magnificentiæ
AD SERVNDAM FLVV.
ERECTÆ.

REGIÆ VENATIONIS ÆDIUM Prospectus


FONS HERCVLEVS
IN
REGIA VENATIONE.

INtimum Venationis Regiæ Palatium, nec non attiguum, quod descripsimus, Viridarium, ingens non ita pridem ripa subsequebatur, unde facilis in fluvium pone labentem prospectus. Sed cùm prominens ibi angulus, ac temerè in Occasum excurrens, oculo non nihil videretur officere, naturæ defectum Principis industria novo ac mirabili prorsus ædificio texit. Geminas ille scalas, mole & specie peregrinas excogitavit, quæ non modò in subjacens ambulacrum descensu placidissimo ferrent, verùm etiam structuræ elegantiâ passim oculos detinerent. Ergo per ferreos fores, quibus Viridarii extrema facies in theatri modum efformata concluditur, in voluptuariam Sylvam egressos excipit area spatiosa, cui substratus agger pulcherrimi statim, ac multiplicis objectu spectaculi corripit intuentes, repentinàque donat felicitate. Occurrit namque ex adverso Colossus Herculis marmoreus ex subjecta Piscina in Gigantis formam exsurgens, ut præaltam aggeris loricam exæquet. Indidem ambulationes binæ prospiciuntur amœnissimæ, dispositis hinc inde recto ordine arboribus in Templum Dianæ, quod peculiariùs describemus, tanquam metam definente procul, & moriente prospectu. Scalarum gradus ex candido marmore, quemadmodum potior moles, structi, ferreæ soleæ, quam equo de more suffigimus, similitudinem exhibent. Tres utrinque statariæ areolæ, quæ gradibus ex intervallo subveniunt, descensum refringunt, Venatorum Nympharumque statuis ornatæ. Verùm, quia, ut dixi, angularis situs vitio peccabat, facies ejus loci, cùm jam sinistrum latus occuparet ripa, quæ alteri scalarum veluti brachium circumducit, solertiâ Principis factum est, ut congesta ad dexterum, & ad libellam exacta maceries, oppositæ ripæ congrueret. Sic ambæ æqualem gyrum explentes, & interjectam molem amplexæ, in theatralem speciem totum conformant opus, communi, & circumstrato subdiali ambulacro utrinque perviæ. Quà verò collatis prope frontibus coeunt, desinuntque, Templum, de quo inferiùs, sive Conopæum octangulum imitantur. Tota verò superne moles captandis auris circumquaque patet, marmoreoque cingitur septo, dispositis ad certa intervalla statuis coronato. Inde liber in Colossum, Piscinam, Fontes, ac circum circa dispositа ornamenta, prospectus. Medio Piscinæ cratere, scabris, & incompositè aggestis è vivâ rupe lapidibus incubat immanis stylobates, seu basis, quæ facie quadruplici præcipua Herculis gesta ad dimidium extanti opere exhibet. Sustinet verò Herculis quem dixi Colossum marmoreum leonino, ex ære fuso, præcincti exuvio, æneâ clavâ armati, cædendæque Hydræ ferociter intenti. Illa ex eodem metallo pullulat, seque inter domitoris sui pedes dividens, ac contorquens, ore septemplici despumat, limpidissimum humorem pro virulento circumvomens. Marmoreo ambitu, sive spondâ concha intercluditur, ad cujus utrinque latera Duria & Eridanus nativi amnes è regione confidunt, eversisque in fontem urnis aquas per-

miſcent aquis. Circumit Piſcinam via, lapillis quà candidis, quà nigricantibus ſtrata alternatim, & præclarâ inter ſe ambage, implicatis contextibus, in hortenſis areolæ ſpeciem foliata. Continuò ſequitur murus, quem ſubter graduum Stationibus exſtructæ portæ, & è ſecto marmore ſedilia comitantur: ubi nimirum jucundis otiis detentus, captare poſſis æſtiva frigora, fontem habens in conſpectu, & mille naturæ artisque ludicra. Fons præterea quatuor ingentesque è ſolido marmore Telamones, exprimendis Satyris conformatos, ex adverſo reſpicit, adjunctis ad latera mutulis, quibus ſuperliminare, Zophorus, & Coronis, totum denique Cryptoporticûs, quæ præcelſo medioque aggeri ſubeſt, frontiſpicium nititur. Theatrum iſthic recens, ſcena alia. Triplici oſtio aditus introrſum patet. Circum undique, quà Tritonum, quà Nereidum ſtatuæ: atque hæ non marmore, ſed conchyliis ſcrupulisque vario colore micantibus, compoſitæ. Scrupoſa pariter loculamenta. Ibi verò videre eſt maritimum hoc agmen ludicris certare ſpectaculis, inflare tortuoſa cornua, aquas mutuò jaculari, mille demum formis ludere. Hæc porrò lepida loci forma, hoc varium circumlabentis undæ murmur, auribus oculisque arridens utrumque ita ſenſum capit, ut (quod finxêre Poetæ) ſtupentes catenatosque homines, vel ludens Hercules, adhuc ſecum trahere videatur. Non omittendæ ſculptæ veteris ævi marmoreæ tabulæ, atque ſigna ad oſtiorum angulos diſpoſita, quibus inſpiciendis ſi curioſiùs libeat immorari, expreſſos ad vivum videas priſcorum Heroum vultus, aliaque non pauca eruditam redolentia antiquitatem; Niſi fortè petitus ex inopinato quà adverſis, quà averſis aquarum jaculis, amicisque plagis, à fronte, à tergo, à lateribus laceſſitus, mixto riſui timore, huc illuc cogaris aufugere, ubilibet idem, ac nullibi tutus, interioresque adire cryptas, in exedrarum, tricliniorum, antrorum, facellorum, ararum, aliorumque hujusmodi œcorum ſpeciem efformatas, proſtantibus ibidem Neptuni, aliorumque, quos vetuſtas coluit, Numinum ſimulacris, certatimque ad ea colludentibus aquarum ex improviſo ſcaturientium novis conflictationibus. Extrema molis totius ad occiduum Solem capita claudunt duo illa ſibi invicem reſpondentia, infernè quadrata, ſupernè in formam octangulorum Templorum, ſive Turrium deſinentia, quorum ſuprà meminimus, Conopæa. Pars ſuperior, ad quam usque ducit Solarium ſubdiale, marmoreis extrinſecus, ad ſpatioſæ ambulationis commodum, ſepta cancellis, intrinſecus in cubiculi formam effigiatur, duplicis oſtii, totidemque feneſtrarum beneficio irradiati. Murus octo diviſus Ionicæ ſtructuræ ſcamillis, duodecim ſuſtinet marmoreas à pectore ſurſum ſtatuas: duodecim quoque intexta habet loculamenta, partim ad quadrum, partim ad octangulum exacta, quibus aptata ex Venetis cryſtallis ſpecula lucidiſſima, oculos eò magis delectant, quò magis fallunt. Quatuor alia, verùm amplioris formæ ſpecula lucem augent ſummæ teſtudini in novem ſpatia diſpertitæ, quam inſuper docta manus picturavit, expreſſis ibidem de Hercule loci Præſide, nec non de Diana regnatrice potioribus geſtis juxtà Poetarum figmenta. Reliquum, ex maritimis teſtis, cryſtallo, coralioque peritè junctis, explet Muſivum opus. Eodem opere commendatur pars ejusdem ſtructionis inferior, cujus quadrata facies intus viſendam præbet, duplici oſtio adeundam, elegantis omninò ſtructuræ cryptam, ubi marmoreis ſuper ſcamnis dulce advenis captare otium licet, quibus de iis quæ hic leviter tantùm attigimus, cum ſocio libet confabulari.

FONS HERCVLEVS,

Cum suis Colosso, Piscina, Cryptoporticu, Antris,
Sacellis, Scalis, Diætis, Triclinio, Statuis, Signis,
Tabulis, cæterisque Musivis, ac marmoreis ornamentis.



FANVM DIANÆ,
AD NEMORA VENATIONIS REGIÆ.

Fani Dianæ auctor.

ETsi in cunctis Venationis Regiæ, quæ cursim descripsimus, ædificiis, Auctoris sui CAROLI EMANVELIS II. Sabaudiæ Ducis splendet magnificentia, unum tamen est, quod, si extrema apponatur manus, præ sui mira prorsus structura, cæteris omnibus antecellit. Fanum videlicet, seu dicere mavis Templum Dianæ, inter Artis, sin minùs inter Orbis (quod de Ephesino Dianæ Templo veteres prodiderunt) miracula computandum. Cùm enim id Numinis à Poetis præesse creditum fuerit venationi, nemoribus, fontibusque, fas erat, ut loco frondosas inter sylvas, & uberrimas aquas sito, maximèque conspiciendo, Dea totam eandem Regiam, suæ veluti tutelæ creditam coronaret: eoque magis medias inter aquas Templum ipsi fuerat construendum, ne aliquis Erostratus redivivus, famam sibi, nomenque posse comparare ab eò illatis ignibus autumaret. Ergò ab Herculeo Fonte, quem supra descripsimus, viam ad occasum ingredientibus, populeis arboribus quadrifariam dispositis adumbratam, mille supra ducentum passibus longam, sese offert industriâ introductus Lacus veriùs, quàm Piscina, marmoreis undique septus cancellis, queis supereminent collocatæ ad introitus, exitusque pyramides, atque ad sinuosam angulorum flexuram statuæ, intermixtis identidem citrinis, in æneis vasis, arbusculis, quæ omnia limpidissimæ objectu aquæ videas, veluti in speculo, geminata. Augent Lacui amœnitatem inibi captivati nantes gregatim pisces, non unicæ speciei: nec non velis ornatæ diversicoloribus, auroque internitente picturatæ cymbæ, naviculæque, quarum subsidio non modò Lacus, huc, illucque spatiando discurritur, verùm etiam hilaris, quoties lubet, piscatio exercetur. Interdum etiam rates ibidem amicè pugnando colludunt: quam ob rem ea aquarum congeries formam referre videtur earum, quas florente Republicà in Vrbe sitas vocabant Romani Naumachias, testibus Suetonio in Tiberio, & P. Victore de Regionibus Vrbis. Ex hujusce Hydro-amphitheatri, si ita vocare licet, media arena ingens exsurgit scopulus, ex montanis rupibus eo artificio efformatus, ut ad quatuor ima latera cavernosus, naviculas excipiat ad infimam sui basim appellentes, unde per geminas ad quodlibet latus scalas identidem coeuntes, in superstructum Fanum ascenditur. Cavernarum ingressum ornant marmorea plura Nympharum, maritimorumque Numinum simulacra: scalarum verò inferiorem substructionem, refractiones, ac laxamenta marmorei sustinent Atlantes, ac Telamones, incompto horridi capillitio, genibusque, atque humeris sub immenso pondere incurvati. Circumeunt totius scopuli ambitum octo perquam commodæ ascensiones, suis exteriùs munitæ cancellis, continuatis scilicet ex candido marmore columellis, eo ingenio structis, ut à summo scopuli vertice ad imam usque basim, aquarum eos rivuli gratissimum edentes murmur interlabantur. Vbi scalas ascenderis, lata in gyrum patens ambulatio subdialis, spectandum ex omni parte, rotundæ omninò for-

Præstantia.

Piscina.

Scopulus cui Fanum incumbit.

mæ offert Templum Filiæ Iovis Dianæ ſacrum. Ædificii molem regunt octo præcelſæ paraſtatæ, ſexdecimque Corynthiam præferentes ſtructuram columnæ, quæ ſuper marmoreis ſtylobatis, ac ſtereobatis quieſcentes, inferiorem ejusdem ædificii ſuſtinent coronicem, iis omnibus divitem ornamentis, quæcunque præfato ordini Corynthio Græcanica olim aptavit Architectura. Coronicis marginem protegit marmoreum undique ſeptum, quatuor & viginti Hamadryadum ſimulacris ad æqualia ſpatia coronatum. Inde feneſtrarum ordo arcuatarum, cum ſuis intercolumniis, encarpis, ſtatuisque è regione, nec non peregrinis aliis ex muſivo opere ad latera ornamentis. Poſt alteram, brevioris tamen peripheriæ, coronicem, delubro incumbit, tecti vice, hemiſphærium lunulatum. quod Itali Cupolam vocant, ad arcendam imbrium injuriam, plumbeis obtectum laminis, ad octangulum prominens, octoque, huic luci introducendæ, proferens feneſtellas, figuræ omnino ovalis. Interior Templi cella Dianæ lavacrum, adſiſtentibus nemorum, aquarumque præſidibus Nymphis, ex candido marmore, loco undequaque conſpicuo repræſentat. Harum quædam, dum Deæ miniſterio obſequuntur, aquis ſe invicem, per luſum, jocumque, auratis proluunt pateris: eodemque tempore adversùs incautos, ac curioſos nimiùm nuditatis virgineæ ſpectatores, per occultos meatus easdem aquas ejaculantur: unde fit, ut coeuntibus ſimul rivulis, fons inde copioſiſſimus efformetur, qui ab exteriore Templi exceptus ambitu, poſtquam per diverſarum ferarum patentia guttura proſilivit, tandem, jucundo convenientium ad eam molem viſendam ſpectaculo, in eum, qui eandem circumquaque alluit, Lacum definit. *Dianæ lavacrum.*

MON-

FANUM DIANÆ

Cum Circumamb-[illegible]-iente Naumachia,

Ad Regiæ Venationis Ne-[illegible]-mora, Moles omninò vifenda.



SACRA EREMVS
ORD. CAMAL DVLENSIS.
In Montibus Augustæ Taurinorum sita.
A CAROLO EMANVELE I
fundata, & amplissimè dotata ex voto, Anno 160[illegible]

CARTUSIA AUGUSTÆ TAURINOR.

MONTISCALERII
CASTRVM.

QVà se demittit in planitiem declivis Taurini Mons, Villarum frequentiâ, & vitium fœcunditate prænobilis, antiquum Sabaudiæ Ducum Castrum attollitur, cui à subjecta Montiscalerii Civitate, quæ tertio ab Vrbe Taurinorum lapide distat, inditum nomen. Vicini situs opportunitas, & mitioris Cæli clementia, Christianæ à Francia Sabaudiæ Ducissæ Regiam mentem in se ita convertit, ut ubi quædam duntaxat videbantur antiqui Castri vestigia, inibi filio suo Carolo Emanueli Delicium, & Magnificentiæ suæ dignum exstare voluerit monimentum.

Nominis origo.

Fons nobilis.

Occurrit igitur primo adeuntium aspectu nobilis fons, Pyramidis è basi scaturiens, & in alveum recidens; ab eo in conchas aqua refunditur, quas subjicit maritima turba Deorum, è latice emergentium, ut irriguo humore circumsiti viridarii teneros flores enutriant. Hinc inde patet facilis per scalas ascensus in aream primam, cancellis è marmore circumseptam, è qua in hanc structuræ formam Palatium assurgit. Quadrato jactum molimine ad Septentrionem in viridaria, & Sylvas aperto, ambitum Solis fenestris omnibus sequitur. Orientem admittit, excurrente in longum ædificio, in quo, ut etiam in opposita Occidui Solis parte, cubicula ita disposita sunt, ut uno viso, reliqua ex illo noveris ad nutum oculorum, atque intuitum præsto occurrentia.

Castri dispositio interior.

Hinc, ad Orientem videlicet, nobilis, & effusus subjectam in planitiem prospectus, quem fugientium è longinquo Montium recessus haud impedit: Inde ad Occasum Regionis pulcherrima etiam visitur forma, minùs ampla, & objectis montibus cincta, eà tamen, undè, camporum, collium, sylvarum varietate, & Padi molliori arenâ placido lapsu magnam capias voluptatem.

Neque minùs spectabilis exterior Castri facies, quæ longiori substructionis ductu ad Meridiem protenditur. Illam discriminat gemina Turrium projectura, quæ in omnibus angulis fabricæ cursum terminant paulo altiores. Hic etiam, quamvis à se longiùs refugiant, respondent tamen, incurruntque sibi cubilia, quorum summa laquearia, vel curiosè cavata & auro illusa, vel Picturis conspicua.

Ejus facies exterior.


Civitati Montiscalerii hac ex parte imminet Regia Moles latèque patentibus campis, quibus plurimum addit amœnitatis Sylvarum opacitas, in quibus varia, & frequens venatio, locorum, oppidorum conspectus & Padi è gremio Vesuli montis decurrentis errores. Sed extrinsecus ista, quamquam, & arte naturam imitante, his etiam amœnitatibus ab interiori Palatii facie oculi recreantur, quocumque incidunt; Sua etenim hìc etiam planities effunditur, non qualem natura sterneret, sed quam operoso labore, industria aperuit; quare tumorem Montis depressit, & eruto solo, aliòque magnis impensis translato, in amœnum Viridarium extendit, in quo pellucidi fontes intrà marmoreum cratera caduci obmurmurant, vario aquarum lusu. Inde quà se clivosior tellus attollit, per gradationes è marmore, itur in Sylvam, quam Pensilem dicere possis, adeò ingentes lateritio opere subsructiones telluris in-

Circumjacentis agri amœnitas.

Sylvæ quasi Pensilis descriptio.

incumbentis pondus ſuſtinent, inhibentque; ad marginem Sylvæ marmoreo ſepto præcinctum, & ſtatuis ornatum in ſubdiales ambulationes exæquata tellus, quæ ad excitatas ex adverſo ſpeculas deducunt; aliæ in Sylvam, opacæ excurrunt ſemitæ, arcendo calori peropportunam; ſiquidem de induſtria ita conſitæ arbores, ut ramis ſeſe explicent, & umbroſas pergulas, complexu ſuo paſſim efforment.

R I-



MONCALIERI

Po Fiume

Indice delle cose notabili

RIPVLARVM OPPIDVM.

Situs.

SExto ab Augusta Taurinorum ad occiduum Solem lapide, qua ex Galliâ, & Allobrogibus, per Cottiarum radices Alpium in Italiæ plana descenditur, ad amœnissimi Collis extremum jugum, procul eminet, atque in declive latus inferne continuatur Oppidum Ripularum, vulgò *Rivoli*, à situ, non ab aquarum rivis, quibus non admodum abundat, indito forsan nomine. Colli, fructuum omnis generis feracissimo, adjacent utrinque longè latèque patentes campi, quibus succedunt certa per intervalla subsilientes minores clivi colliculique, in quibus ea est Cereris, Pomonæ, Bacchique ubertas, ut nihil sit ad humanæ vitæ commoda, quod ibidem affatim non suppetat habitantibus, superfitque quod ad exteros quoque transmittat. Soli ad Ortum Meridiemque expositi, cælique, quàm sit in circumsita Ora Pedemontana, salubrioris temperies maximè confert vitæ incolarum in senium producendæ, atque ingeniis acuendis: ex quo fit, ut non modò incolæ valdè diteſcant, exercendis mercimoniis, quæ mirificè propagantur frequenti ultro citroque commeantium transitu appulsuque, verùm etiam aptissimi sint literis excolendis, nisi (quod non paucis Pedemontani tractûs accolis aliquandò contingit) ex nativâ soli pinguedine, oblatisque sibi ultro à naturâ deliciis, otio tabescant, atque ab exercitationibus & studiis arceantur. Officit tamen persæpè valetudini is, qui ex proximis vallibus vehementior prodit ventus, quod nihilominus incommodum aperti undequaque aëris solisque, minùs quàm alibi obducti nebulis, beneficio compensatur: ne dicam mitiùs incolas ab ardoribus æstivis ibidem pati, ob lenes auras, quæ etiam Syrio terras urente, frequentes spirare solent. Ex hujusmodi porrò salubritate, commerciique opportunitate factum est, ut pro sui amplitudine Ripularum Oppidum, cunctis retro sæculis, populi numero paucis cesserit: ac licet vigentibus Civilibus quondam inter Pedemontanos bellis, detrimenta ipsum quoque non modica passum sit, adhuc tamen octo circiter ibidem animarum millia numerentur, quibus tres Parochiales Ecclesiæ spiritualia administrant. Harum prior sub invocatione Deiparæ Virginis Canonicorum Collegio insignitur, inter quos Dignitate præstant Præpositus, Archipresbyter, Cantor: altera D. Martino sacra, ab unico regitur Sacerdote, præfertque titulum Plebanatûs; tertia, cæteris minor, habet D. Bartholomæum Apostolum Titularem. Tria præterea insunt Regularium Monasteria, Fratrum videlicet Prædicatorum, Carmelitarum, Capuccinorum. Ex ordine verò, quem primo loco memoravi, Prædicatorum, erit posteris in benedictione B. Antoninus ab hoc Oppido, ex Neirottorum gente oriundus, qui in Tunetanâ Vrbe à Mahumeticæ superstitionis Sectatoribus lapidum grandine, pro Christi nominis confessione, obrutus, crudele martyrium invicto animo passus est anno 1460. IV. Idus Aprilis: ejus verò Corpus ab igne illæsum, atque in Templo advenarum Genuensium tumulatum, frequentes adiêre Christiani in iis Infidelium regionibus commorantes, preces ob impetranda à Deo ejusdem

Nominis origo.

Agri circumjacentis fertilitas.

Soli cælique salubritas.

Incolarum numerus.

Ecclesiæ Parochiales tres.

Monasteria.

B. Antoninus.

ope beneficia, votaque exsoluturi, donec post octo annorum spatium ab iisdem Genuensibus ex Africa Genuam deportatum, indè rogante B. Amedeo, qui tunc Sabaudis imperabat, in Pedemontem delatum, in Patria sua, quam describimus, Ripulensi, atque in hoc suo Prædicatorum Cœnobio honorificè conditus est. Nec omittendus ex eodem Ordine F. Damianus de Grassis, à quo, sub præteriti sæculi initium, fuere non pauca, de rebus sacris agentia, non inutilia volumina, typis edita.

F. Damianus de Grassis.

Familiæ Nobiles.

Non defuêre, ejusdem olim Oppidi patritiæ familiæ, quamplures sanguinis professæ nobilitatem, quas non est nostri instituti hoc loco peculiariùs recensere: utpote de Braiia, de Drois, olim Bruini Domini, Mutii, Capræ, Bonetti, Zostri, Felicii, Bonadonæ, quæ eo maximè tempore floruerunt, quo Sabaudi Principes Subalpinam invisentes ex Sabaudiâ Ditionem, Ripulis sæpiùs substiterunt, Loci, quam dixi, salubritate, atque Venationis Principe dignæ, ob cervorum, cæterarumque ferarum magnam in vicinia copiam, allecti opportunitate. Illud verò hoc loco minimè omittendum, quod à fide digno Scriptore narratum comperimus: transactum nimirum anno 1247. quòd si Amedeum inter Allobrogum Comitem, ejusque Germanum Thomam Comitem Maurianensem, ac Taurinenses Cives, pro iis, de quibus inter se convenerant, dissensio orta foret, ea res Sapientum Ripulensium arbitrio decidenda committeretur: ea erat de eorundem æquitate, prudentiâque apud utramque partem opinio. Chiesa. Cor. Real. par. 2. pag. 584.

Qui in Subalpina Regione postea dominati sunt Principes, peculiaribus ejusdem Loci incolas immunitatibus ac privilegiis decorarunt: idque inter cæteros præstitit Carolus Emanuel I. qui in Regio ibidem Castro natus anno 1562. Patriam suam, uti in sequenti Descriptione proximè referemus, multifariàm exornavit, non modò munità, atque in directum à Taurinensi Vrbe eò usque lapidibus stratà viâ, ut commodiùs illuc (quod frequenter agere consueverat) cum Regia Familia posset excurrere, ac otiari; verùm etiam constituto ibidem Præfecti Provinciæ tribunali, ad quem daretur à sententiis ordinarii ejusdem Loci Iudicis, appellatio.

Patria Caroli Eman. I.

RIPULÆ vulgo RIVOLI.

R I P V L Æ.

Situs.

IN primo Cottiarum Alpium vestibulo, ubi inaccessa Montium juga, depositâ sensim asperitate, in Pedemontanam planitiem longo amœnissimorum collium tractu protenduntur, insidet planè Regia ædificii moles, antiqua Sabaudorum Ducum magnificentia. Allexit olim eos ad prima hujusce molitionis exordia opportunitas situs, editis undequaque clivis, elatiorem in tumulum leniter assurgentis, salubris ex aperto Sole temperies, patensque hinc indè in subjectam planitiem, & frequentissima Oppida longè latèque prospectus. Neque crevit statim ab initio in totam suæ molis amplitudinem, sed per plurimos retrò annos diu se ipsâ minor, demum sub Carolo Emanuele, primo hujus nominis Sabaudiæ Duce, ad nobiliorem Palatii formam redacta est. Eam quippe domum quam suis natalibus illustravit, suis postmodum sumptibus adeò amplificavit exornavitque, ut in ea nihil omnino desit, quod ad artis elegantiam, splendoremque Magnificentiæ desideres.

Extructionis causa.

A Carolo Eman. I. ampliata & illustrata.

Imprimis ad eam æquè facilè ac magnificè ascenditur; nam ipsa loci proclivitas, novis substructionibus leniùs adæquata, amplos hinc inde aditus aperit, defensos ad latera perpetuo ordine balaustiorum, quæ ad debita intervalla stylobatis intermixta, marmorea identidem simulacra sustentant. Surgunt ad singulos angulos ædificii in sublime fastigium quadratæ ac ampliſſimæ Turres, quæ magno inter se spatio dissitæ, reliquam intra se domum, altitudine quidem paulò minorem, sed amplitudine longè majorem includunt. Superbam speciem sui oculis ingerit exterior Palatii facies, copiosissimè undequaque exornata marmoribus, grandis enim è marmore corona, frequentibus ac grandioribus mutulis sustentata, ad supremas totius ædificii partes eleganti ambitu circumvolvitur; nec absimiles sunt lapides, qui longâ serie, è Turrium angulis eminent, nullumque est, sive ad ostium, sive ad fenestras, nisi è marmore, ornamentum.

Exterior Palatii facies.

Subeuntes primùm excipit ampliſsimum ātrium, cujus ingentem fornicem duplex columnarum ordo altè suspendit, adjacentque illi ad latera hinc & indè magna conclavia, quorum pars altera est habitationi Aulicorum accommoda, altera verò in domesticas officinas efformata. Tota domus superior, ad quam è primo atrio gradibus marmoreis geminus scalarum ordo, ab initio invicem recedentium, ac demum in suprema parte coeuntium, amplè deducunt, in duplicem hinc cubiculorum, indè aularum ampliſsimarum seriem latè dividitur. Cubiculorum supellectilem, præter cætera ornamenta Regiæ magnificentiæ, præclara insignium pictorum monumenta commendant.

Atrium.

Domus superior.

Aulæ verò majores, non tam amplitudine, quam Equitis Isidori, Blanci & Morazzonii penicillo celebres, res præclarè à Sabaudis Heroibus gestas oculis exhibent. In prima enim exprimitur humilis æquè, ac religiosa rerum humanarum despicientia Amedei VIII. qui, ut exortum inter Catholicos Schisma componeret*, Eugenio Pontifici, hujus nominis quarto, Vaticanas insulas sponte cessit. Quæ proximè sequitur, repræsentat piam B. Amedei in egenos largitatem; in tertiâ delineantur felices bellorum exitus Amedei VI. qui Alexium Imperatorem, è Turcarum manibus vindicatum, Orien-

Aulæ Majores picturis ornatæ.

Amedeus VIII.

Amedeus VI.

tali Imperio reſtituit. Vltima, quæ cæteris amplior eſt, expreſſa magnificè exhibet ea bellicæ fortitudinis prodigia, quibus Amedeus IV. Sabaudum nomen inſignivit, dum pro Hieroſolymitanis Equitibus Inſulam Rhodum adversùs Othomannicum impetum propugnaret.

Amedeus IV.


Præterea Regia hæc Moles, quà meridianum excipit Solem magnam ſui partem in longum tractum extendit, quæ in Pinacothecam deſtinata, ſpectabilis eſt celeberrimorum Pictorum, Sculptorumque laboribus: quà verò expoſita eſt vergenti in occaſum Soli, ad extremam partem ampliſſimæ Areæ, quæ undequaque Ædificio incluſa, ante majores Palatii fores in ovalem figuram latè ſe effundit, erigitur magnificum Templum S. Carolo Borromeo ſacrum, cujus ad latus jacta olim fuerunt fundamenta ampli Cœnobii ad excipiendos Patres Eremitanos ſub regulâ S. Auguſtini, quod etiam Splendidiſſimus ille Princeps ad perfectum, ut reliqua, exitum perduxiſſet, niſi tam multiplex eâ ætate bellorum occaſio ſuæ ipſum Magnificentiæ eripuiſſet.

Pinacotheca.

Area.

Templum S. Caroli Borromæi.

MO-



RIPVLÆ.


REGALIVM PRINCIPVM SABAVDORVM

FIRMA et PERAMŒNA MOLITIO.

Rerum Miraculis Celeberrima,

additis nonnullis quæ periere

nondum licuit, ædificiis



MONASTERIVM
S. MICHAELIS CLVSINI.

ANtiquiſſima atque illuſtris admodum S. Michaelis Cluſini, ſive de Cluſa, aliàs de Stella, Abbatia, non longè ab eo loco, quem Cluſas dicunt, *la Chiuſa* (ubi ſcilicet Deſiderius Langobardorum Rex, ducto hinc inde muro, viæ anguſtias ſepſiſſe fertur, ut Caroli Magni Francorum Regis copiis contra ſe venientibus ſe opponeret) ad fauces Alpium Cottianum, in Montis, quem Pingonius Pyrghirianum vocat, cacumine procul eminet: eſtque ad lævam iis, qui à Taurinorum Auguſta Secuſium rectà tendunt. Floruiſſe in ea vicinia olim Civitatem, ex qua factum monti nomen, Pyrghirianam, eſt qui aſſerat idem Pingonius: at penes eum tantummodo fides eſto, cùm id nullo niti compererimus veterum teſtimonio.

Situs.

Abbatiæ fundator.

Abbatiam fundaſſe, magnificàque manu dotaſſe ſcribitur Hugo Marinus, natione Alvernus, Montisque Buceri Dominus, vir primariæ penes Gallos nobilitatis, dum is, unà cum Yſengarda Conjuge, Romà redux proprios repeteret lares. Fundationem hujusmodi ad Annum C M LXVI. ratam habuit Annucco ſive Annuccus Epiſcopus Taurinenſis, qui cùm Eccleſiam ſub D. Michaelis Archangeli patrocinio, atque invocatione, Angelicà potiùs, quàm humanà ope ædificatam, ritu ſolemni conſecraſſet, primumque eidem Abbatem ſub Benedictino Inſtituto quemdam Advertum nomine conſtituiſſet, locus clareſcere in dies miraculis cœpit, atque à multis, tam circumcirca, quàm procul poſitis nationibus frequentari.

Conſecrator.

Abbas primus.

Hinc factum eſt, ut quotidianis eò largitionibus Imperatorum, Regum, ac Principum confluentibus, maximum Monaſterium illud acceperit incrementum, quàmpluraque minora Aſceteria, & Eccleſias ſibi ſubditas habuerit, non in Taurinenſi modò, verùm etiam in Hyporediensi, Vercellenſi, Aſtenſi, Aquenſi, Terdonenſi, Genuenſi, Novarienſi, Papienſi, Placentina, Cremonenſi, Mantuana, Parmenſi per Italiam: in Ebredunenſi, Vapincenſi, Dienſi, Magalonenſi, Avenionenſi, Narbonenſi, Toloſana, Carcaſſonenſi, Convenarum, Conſeranenſi, Caturcenſi, Lemovicenſi, Pictavienſi, Bituricenſi, Claromontenſi, Lugdunenſi, Anicienſi, Gratianopolitana per Galliam: in Tarentaſienſi, Maurianenſi per Sabaudiam: Sedunenſi in Valleſia, Gerundenſique in Hiſpania Diœceſibus, uti eas ſingillatim, diſtinctéque enumerat Innocentius Papa Tertius in Bulla data Laterani Anno M CC XVI. & quamvis, ſive bellorum injuriâ, ſive Abbatum incuriâ, nonnullæ harum paulatim ab eorum obedientia ſe videantur ſubtraxiſſe, multæ tamen etiam adhuc ſunt in recenſitis, longéque poſitis regionibus, quarum proviſio vacationum tempore à Vicariis Generalibus, quos Cluſini Abbates ſolent in illis partibus conſtituere, peragitur. In Pedemontana verò Provincia, præter ſpiritualem jurisdictionem, quâ, in Eccleſiis, locisque ab eodem Monaſterio dependentibus, illæſâ gaudent, temporale Oppidis Cluſæ, S. Ambroſii, atque Iavenni jus dicunt: in quorum poſtremo Sereniſſimus Princeps Mauritius à Sabaudia, dum Cardinalitiâ dignitate fulgeret, commendatamque ſibi haberet hujus Monaſterii Abbatiam, nobile

Aſceteria & Eccleſiæ huic Abbatiæ olim ſubditæ.

Spiritualis & temporalis ejus juriſdictio in Pedemontio.

bile Canonicorum sæcularium Collegium instituit, dotavitque.

Adscensus ad Templum.

Porrò ad S. Michaelis, orientem Solem respiciens, Templum adscenditur, ex Turris, solo magna ex parte æquatæ, & quæ olim adscensum contra hostiles impetus tutabatur, reliquiis, per centum septuaginta lapideos cyanei coloris, magnitudinisque insuetæ gradus. Reliquæ Montis crepidines, præsertim verò quæ Ortum, atque Boream spectant, sunt omnino inviæ, atque obrutæ, ita ut nonnisi damis, atque ibicibus adscendere permittatur. Antequam ad Basilicam in vertice summo sitam, veteraque Monachorum septa in Castelli speciem efformata perveniatur, occurrunt ad

Sarcophagi.

dexteram sarcophagi plures, partim marmorei, partim lapidei, continendis ossibus nonnullorum Abbatum, aliorumque virorum illustrium, qui fuêre de eo Religionis, Religiosorumque sacro contubernio benemeriti: In Ecclesia verò, cujus structura, etsi antiquitatem, ob ævi injuriam fatiscentem, sapiat, non ordinariam tamen ostentat adhuc majestatem, atque magnificentiam, videre est alios Principum, atque Magnatum tumulos. Li-

B. Ioannes Archiepiscopus.

cet autem B. Joannes Archiepiscopus Ravennas, ad hoc se, relicto Episcopatu, contulerit Monasterium, ut sub Eremitico habitu ageret vitam austeriorem, ibidemque diem, non sine Sanctitatis opinione circa Annum CM XC. extremum clauserit; ejus tamen Corpus reconditum veneratur S. Ambrosii Oppidi, quod superius memoravi, Parochialis Ecclesia. Nunc, quod maximè dolendum est, *Status Abbatiæ hodiernus.* insignis adeò Basilica, Monachorumque celeberrimum alvearium, omnino ferme neglecta, caret Religiosorum, qui quondam numerosissimi aderant, ministerio, redactaque in Commendam Abbatiâ ab uno tantùm, alterove Presbytero habitatur, qui Missa sacrificium ibidem celebrant.

Scriptores qui de ea scripserunt.

Si quis plura de hoc Monasterio, cujus exactam damus Ichnographiam, scire desiderat, legat Franciscum Augustinum ab Ecclesia, in serie Præsulum Pedemontanorum recensentis accuratè Abbates, qui eidem pro tempore præfuerunt, atque in Historia Sabaudica Guichenonum, præsertim in Humberti Secundi, & Thomæ Primi Sabaudiæ Comitum rebus gestis: nec omittat disquisitiones editas Romæ anno M DC XXXV. auctore Jo. Maria Belletto Episcopo Hieracensi fol. 451. vel Collectanea ejusdem privilegiorum, curante Francisco Cleve ejusdem Abbatiæ Secretario, impressa Taurini anno M DC LXX. dicataque Excellentissimo Domino Antonio à Sabaudiâ, Nicensis Vrbis, & Comitatus Gubernatori, atque generali Locumtenenti, qui non non modò ei, verùm etiam S. Benigni Fructuariensis, Altæcumbæ & Alpium sedibus Abbatialibus cum laude præest.

MONASTERIVM
S. MICHAELIS

SCENOGRAPHIA MIRABILIS ÆDIFICII TEMPLI ET MONASTERII S. MICHAELIS ARCHANGELI.

IAVENNVM.

Nomen. IAvennum, Pedemontanis *Giavenno*, cujus etymon nonnulli ad Annibalem ineptè referunt, utpote qui, superatis Alpibus, eóque loci consistens dixerit, *Iam veni*, jacet ad radices Alpium Cottiarum, non longè à Sangoni fluminis ripa, qui inter Augustam Taurinorum, & Montem Caletium in Padum labitur, situ perquam amœno, jucundoque & salubri. Ambitur continuato antiqui operis muro, quatuor portis distincto, quarum una ingressum præstat Palatio Abbatiali. Abbas siquidem S. Michaelis de Clusa, cujus Monasterii descriptionem suo loco exhibemus, Iavenno circumstantibusque pomœriis, sive, ut vocant, Burgatis, in quibus inhabitantium numerus ad quinque millia supputatur, jam olim in spiritualibus, & temporalibus dominatur. Cùm nostro ævo eandem Abbatiam regeret Serenissimus Princeps S. R. E. Cardinalis Mauritius à Sabaudia, is prædictum Abbatiale Palatium præ vetustate labens refecit, ac sumptu non modico exornavit, addito præcipuè amœnissimo viridario diversi generis arboribus consito, fontibusque irriguo, quò loci Carolus Emanuel II. qui nunc Subalpinis imperat, Dux Sabaudiæ, consuevit ferè quotannis, Iulio, Augustove mensibus, cùm suo Comitatu Regio se conferre, æstivi caloris vitandi gratiâ, cùm ibi Thessalica Tempe, Hesperidumque horti arceant longo ordine, atque ad normam, quam longè, latèque patent, extentis supernè frondibus, Solis radios, admittantque perennes umbras, lenesque zephyros, dum alibi, sive canicula importuna latrat, sive ignitus Sirius urit. Neque verò inter agrorum delicias oblitus est idem Princeps, vel populi commodum, vel religiosam animi pietatem: nam, ut Monachorum olim ad S. Michaelis de Clusa degentium, redacto in Commendam, ut dicunt, Monasterio defectum suppleret, impetravit à Gregorio XIII. Pontifice Maximo, ut eorum vice, Iavenni undecim Canonicorum sub unius Præpositi regimine Collegium institueretur, qui sacris jugiter operarentur, quotidiè interessent choro ad psalmodiam, populoque Sacramenta Ecclesiastica ministrarent, uti hactenus summâ cum laude præstant. Sacra faciunt hi in primario Oppidi Templo Divo Laurentio Levitæ, & Martyri consecrato, cujus si amplitudinem, structuram, ornamenta, organorum præcipuè oppidò sonoras fistulas, Musicesque dulce melos fermè quotidiè resonantes, concentum spectes, paucis non modò Pedemontanæ, verùm etiam Italicæ Provinciæ concedere animadvertas. Instituit præterea veterum pietas in eadem Ecclesia octo Clericorum Seminarium, ut inibi per quinquennium Grammaticæ, & Musicæ artes docti, idonei evadant, qui ad superiores Ordines promoti adhiberi valeant in Ecclesiasticarum functionum ministerium, & exercitium. Visuntur insuper intra murorum ambitum tria Laicorum Sodalitia, sub invocatione Sanctissimi nominis Iesu, nec non SS. Sebastiani, Rochi & Caroli, ubi divinas preces recitaturi, & operibus pietatis, misericordiæque daturi operam frequenter Sodales conveniunt: aliud insuper sub titulo S. Elisabeth Reginæ Oratorium admittit fœminas, quæ in piorum operum cultu non patiuntur se à Viris superari. Commendat autem plurimum Incolarum religionem fides, ergà Deum intemerata, quam Hæreticorum in vicinià Lucernæ, Angroniæque Vallis, montanoque Delphinatu degen-

Situs.

Palatium Abbatiale.

à Seren. Princ. Card. Mauritio à Sab. refectum.

Collegium undecim Canonicorum.

Templum D. Laurentii.

Seminarium olim Clericorum.

Tria Laicorum Sodalitia.

Incolarum pietas.

 tium

tium prava dogmata, nequiverunt unquam, vel minimum labefactare.

Iavenni Dominus.

Cæterum ex hoc loco, cujus dominium nunc est penes Excellentissimum D. Antonium à Sabaudia, in Nicienſi tractu, pro Regia Celsitudine Sabaudiæ Ducis, Gubernatorem, atque Generalem Locumtenentem, utpote S. Michaelis Clusini Abbatem, prodierunt plures tam togâ, quàm Sago illustres Viri, ex sequentibus præcipue familiis, Calcaneis videlicet, Baronis, Vallettis, Sclopis, Morellis, Balbis, de Roys, Valentinis, Ruffinatis, Gislandis, Goffis, aliisque, quæ vel hic in posteris continuatæ, vel aliis locis insertæ, nobilitatem à majoribus acceptam, vel per virtutes adeptam, profitentur.

Familiæ Nobiles.



AVILLIANÆ OPPIDUM



AVILIANA.

Nomen Vetus.

LOcum inter Taurinorum Augustam, atque Segusionem, in veteribus Itinerariis indicatum, *Ad fines*, eum esse recepta Geographorum sententia est, situsque ipse suadet, qui nunc communi Italorum vocabulo dicitur *Avigliana*, Latinè *Aviliana*, alicubi *Villiana*: sumpto nimirum ethymo ab apibus (quarum insigne super rubea Cruce, ad angulos quadrifariam depictarum, in publico scuto defert) *Aveglie*, Italico-celtico incolarum idiomate appellatis. Ea sita est in vertice ab Alpium Cottiarum radicibus nonnihil avulsi collis, cælo undique aperto, ac ventis pervio, qui ne, ex Secusina Valle plus æquo interdum debacchantes, saluti obessent, eà ratione Oppidani ædificia initio sua disposuerunt, ut, non recto sed tortuoso tramite directis in figuram spiralem viis, earum anfractibus vis venti delusa concideret. A solis benigno aspectu derivata salubritas, atque à circumstantis agri, qui inter amœnissimos meritò computatur, jugi cultura, soli fertilitas, à frequenti demum ex Gallia in Italiam per Alpes ultrò citròque iter facientium transitu, merciumque distractione, incolarum census magnum consuevit accipere incrementum; auctæ opes pecuniæque.

Nomen.

Nominis ethymon.

Situs.

Cœli salubritas & soli fertilitas.

Præter nativas Cereris, Bacchique divitias, gaudent etiam accolæ mixto voluptate lucro, proveniente ex venatione, atque piscatione. Ad venationem quidem incitant nemora circumposita, in quibus quidquid ferarum, & volucrum mensæ magnatum expetunt, exquiruntque, gignitur copiosè. Ad piscationem verò gemini, celebratæ Lacus profunditatis, aquis limpidissimis redundantes, ad collis, cui superstat Oppidum, Australem, atque Occiduam plagam siti, ubi trostarum, cyprinorum, tincarum, anguillarum, aliorumque insuetæ magnitudinis, atque saporis exquisitissimi piscium diversa innatant agmina. Ab hisce verò Lacubus, quos brevis ab invicem isthmus dividit, quorumque aspectu jucundissimo, ab ipsis Oppidi ædibus, licet frui, tantà copiâ aquæ profluunt, ut ex iis longè, latèque patentia subditi agri prata, campique, magno culturæ beneficio, irrigentur, quod ipsum præstat Duriæ ripariæ non procul allabentis, pisciumque pariter feracis, vicinia.

Gemini lacus piscibus redundantes.

Duria Riparia faciens Oppido vicinia.

Ne verò ab exterorum, ejus Soli felicitati invidentium insultibus Avilianenses detrimenti aliquid paterentur, continuatà murorum munitione cautum Oppido voluerunt. In summo etiam ponè assurgentis collis jugo Arcem pluribus, firmissimisque Turribus septam ædificàrunt, expugnatu perquam difficilem, ex qua, non in circumpositos agros modò, verùm etiam in totam, quàm latè patet, Subalpinæ Oræ planitiem lætissimus est prospectus. Hoc autem à natura præcelsum illum verticem accepisse singulare accepimus, ut quamvis sit omni ferè ex parte invius, & abruptus, perennis tamen aquæ prosiliat ibidem rivulus in habitantium commodum, & eorum, quos eousque defatigavit ascensio, itineris levamentum.

Arx expugnatu difficilis.

Honorárunt Arci illi inædificatas ædes non semel Sabaudi Principes, quando sese obtulit occasio ex Sabaudia Pedemontium invisendi. Vnde factum, ut Avilianense Castrum de nonnullorum Sabaudiæ Comitum fastis, felicibusque natalibus glorietur. Humberti imprimis Tertii, & Amedei Septimi, quorum ille, sanctimoniæ postmodum fama notus, primam inibi lucem hausit Calendis Sextilibus Anni MCXXX. hic verò avitarum ditionum, militaris virtute gloriæ, cumulator, fœcundata à Deo

Gloriatur natalibus nonnullorum Sabaudiæ Comitum.

SACRA EREMVS
DE ROREA
PP. CAMALDVLENSIVM.

IN eo Pedemontanæ Regionis tractu, ubi prope Vrbem Taurinum circumfusa planities, Boream versùs, ad Alpes extenditur, cæpitque paulatim, lenioribus elata clivis, ascendere, spatioso in loco à cætera planitie aliquantulum edito, insidet Sacra Eremus de Rorea, piæ æquè, ac magnificæ liberalitatis Familiæ de Granerii avito ejusdem in fundo sacrum monumentum. Locum commendat opportunitas sitûs, patens longè latéque prospectus, geminique montes, qui hinc & inde ad latera, profuso in planitiem dorso, & spatioso intervallo inter se dissiti, amœnissimam veluti scenam efformant. Hic haud procul à Lancio Oppido surgit sacra moles, ducto in ampliſſimum spatium, perpetuo muri ambitu circumclusa.

Excipit primùm subeuntes ingens ostium operis elegantis, indicans reliqui ædificii majestatem, ducitque in ampliſſimam aream ad omnem amœnitatem excultam, spatiosis interfectam semitis, & proceris identidem opacam arboribus. In medio elegans è marmore fons attollitur, qui ejaculatas in altum aquas cratere capaciſſimo rursus excipiens, eas deinde copiosa vena profundit irrigandis floribus, alendis plantis, augendæque loci amœnitati opportunas. Aream altè despicit erectum in fronte Templum, spectabile non minùs amplitudine molis, quàm operosæ structuræ venustate: Ad fores per marmoreos gradus ascenditur: pars interior Templi, undequaque opere plastico, & frequentibus aris ditissimè exornata, sacram, sed hilarem reverentiam conciliat.

Ad utrumque Areæ latus ingens surgit ædificium, pari utrumque amplitudine, parique structurâ; alterum domesticis Religiosorum laboribus, alterum hospitibus recipiendis accommodum. Deinde per geminas fores itur ab Area ad Monachorum Cellulas, eâ inter se serie dispositas, ut æquo intervallo distantes, æquo etiam ordine sibi ex utraque parte respondeant, eâque Edificii formâ expolitas, ut in eis id tantummodo desit, quod Instituti ratio non permisit. Ducunt demum ampliſſimæ semitæ, altis arboribus obumbratæ, ad interiorem, ultimumque Eremi recessum, ubi in ampli Galatii formam situm est Valetudinarium, procul à cæterorum commercio excipiendis, curandisque ægrotis peropportunum.

CAMALDVLENSIVM,

NONDVM OMNINO ABSOLVTA AD LANCEI OPPIDVM EREMVS

A. Ostium Eremi & huic vsui Domus. B. Area quadra et spatiosa C. Fons marmoreus E. Officina Domui et Religiosorum laboribus seruiens G. Monachorum Cellulæ ex quo ordine H. Arbolationes arboribus obsitæ. M. Sinuum Cyclus N. Villa una
proborum ingressi Maceriæ accommodata. sensitus interfecta D. Templi facies etc. F. Officinæ plumbariæ Officinibus contiguæ. alio ex vtroque parte respondentes I. Valuularum K. Nemus L. Nemus. ac ex vtroque parte recessus. Area
dici referuntur. O. Via publica.

SECVSIVM.

Situs.

SEcusina Vrbs nobilis est, & antiqua Pedemontii Principatus, sita in Vallis margine, quæ ab ejus nomine Secusina dicitur ad Alpium radices; cujus originem nominis ac conditoris memoriam, plus nimio frequentia bellorum ac temporum infortunia, & præcipuè incendia penitus extinxère; nam exercitus, ultro citroque ex Gallia in Italiam irruentes eam misere devastarunt. Inter nobiliores atque antiquiores Alpium Vrbes ab antiquis Scriptoribus connumeratur, à Plinio inter nonæ Regionis Italiæ Vrbes, quam Secusium denominat, sic etiam à Romanis dictam affirmans. Idem ex Ammiano Marcellino comprobatur, asserente Cottii Regis sepulchrum ibidem exstitisse, cujus prospectus ex ipsius Vrbis mœnibus appareret. In Antonini itinerario, & Peutingeri tabula eodem etiam exprimitur nomine, & in Itinerario Hierosolymitano Secusium nuncupatur. A multis tamen aliis communiter Segusium sive Civitas Segusiensium, nominatim à Leandro Alberto, ac etiam Secusium. Nazarius verò eam vocat Italiæ Claustrum, & Ianuam Belli. In Panegyrico Constantini, ac nonnullis etiam Inscriptionibus, quarum aliquas infra subjiciemus, ex quibus etiam apparebit, eandem Vrbem Segusium fuisse denominatam, licet nonnulli recentiores, inter quos Blondus, & alii nonnulli Secusiam vocitárint. Quin etiam cùm Romani rerum potirentur, inter Vrbes ordinis splendidissimi, antiquiores eam recensere voluerunt, & Civitatis nomine decoratam, multò antequam Christiano-Catholica Respublica Episcopales instituisset dignitates; fuerat enim Cottii Regis, & ejusdem Regni Regia, ejusque inde Marchionatus, summæ inter Italiæ Principes existimationis: quippe cujus Dominium Lombardiæ, & Liguriæ partem complecteretur.

Cottii Regis Regia fuit.

Ius cudendæ monetæ habuisse constat.

Ius cudendæ monetæ apud eosdem fuisse certò constat, cùm tunc temporis in regione Subalpina universa, Solidorum ac Librarum maximà vis excusa negotiorum commercio valdè apta conspiceretur. Adeo potentes exstiterunt, ut quàm plurimi Reges & Imperatores, antequam in Italiam descenderent, eorum auxilia & amicitiam perquirere non dubitarent. A nonnullis enim Scriptoribus ditissimus hic Marchio censebatur. Gloriosa igitur semper vivet tantæ Vrbis inter cæteras hujusce ditionis memoria, non modò ob antiquam ejus magnificentiam, sed etiam ex innumeris cladibus quas inter tot bellorum motus, & hostium incursiones magnanimiter toleravit.

Origo nomini & Conditoris ignota.

Vrbis Nobilitas & Antiquitas.

Nomina.

Antiqua Vrbis magnificentia.

Variæ clades & calamitates.

In cujus rei fidem liceat paulò altiùs hujusmodi perquirere calamitates. Cùm igitur Secusia Vrbs, inter Galliæ & Sabaudiæ fines constituta, reperiatur inter montes Cinisium & Genevrum, in eam descendentibus, sive potiùs irrumpentibus exercitibus prima importunè objicitur. Quamobrem, innumeris malis obvoluta, acerrima sub suis mœnibus subire prælia, non sine maxima sanguinis effusione, & intra ipsas clades, proprias lugere calamitates, atque jacturas compulsa fuit; sive Brenni, post Bellovesum, Gallorum Regis descensum ducentis ab eodem annis consideremus; sive Carthaginenses qui subsecuti sunt; sive Flavium Valentem, qui cum quadraginta & amplius armatorum millibus contra Othonianos pro Vitellio bellum gerens, Maurianensi ditione maxima ex parte in cineres redactâ, Vrbem Secusinam & adjacentia Oppida destruxit; sive

Gothos qui imperante Theodorico Galliam ea ex parte invadentes nihil non subverterunt. Sive Vandalos ex iisdem Alpibus descendentes, qui post inductam Secusinæ Valli ferro & flammâ vastitatem, cùm ad Augustam Taurinensem pervenissent, munitissimum ibidem Castellum construxerunt, & etiam hodie corrupto nomine eam regionem ubi excitatum fuerat, Vanchiliam appellant, licet nulla amplius ejusdem vestigia appareant. Quid loquar exercitum Constantini, à quo factam bonorum direptionem, prædiorum depopulationem, locorum adjacentium devastationem, Vrbis denique post devictum ac debellatum Maxentium, integram eversionem, memoriæ proditum est? Nec hic calamitatum finis. Gothis succesſêre Longobardi, qui per hanc eandem Vallem, in Galliam sub Amone Zaban & Rodano fortissimis Ducibus procedentes, multas huic plagas inflixêre. Nec minus deploranda huic Vrbi Saracenorum memoria, qui cùm per hanc eandem Vallem in Italiam irruerent, anno circiter 900. vastationibus & incendiis non Vrbem modò, sed Vallem universam delere conati sunt. Nulla tamen ex prædictis huic Vrbi ac Civibus flebilior obtigit clades, quàm quæ ab Ænobarbo Federico, ex Germania in Italiam descendente, inflicta fuisse memoratur. Sic enim per inauditam immanitatem omnia flammis injectis funditus evertit, ac dissolvit in cineres, ut spem omnem nobilissimæ Vrbi ademerit recuperandæ pristinæ venustatis. Quo tempore Scripturæ omnes, vetustissimæ originis testes, unà cum domibus interiêre.

Maxima clades à Federico Ænobarbo inflicta.

Secusinorum Marchionum olim sedes.

Ex incolarum traditionibus, & ipsis, quæ adhuc superstant, antiquitatum ruderibus constat, Secusinorum Marchionum sedem exstitisse, quorum etiam nunc Arces semirutæ, quinque fortissimis olim Turribus communitæ spectantur. Sed nuptiis cum Adeligia sive Adelaida postremi Marchionis unigenita feliciter contractis, Vrbs cum Secusino Marchionatu in legitimam hæreditatem Sabaudiæ Ducibus obvenit.

Nunc Sab. Ducibus subdita est.

Dissidiis civium minui quando cœpit.

Iacuit hæc Vrbs multoties, suis in agris vidit vastitatem, inculta, & deserta omnia. At quòd unanimes inter se Cives convenirent, videbatur in pristinam assurrexisse dignitatem. Verum trecentos ab hinc annos, obortis inter potentiores cives dissidiis, Civitas in duas dissecta factiones, diutinis civilibus bellis vexari, & frequenti eorumdem exeidio minui cœpit, resurgendi ut antea amisit potestatem, & in hunc, quem cernis, angustiorem murorum ambitum coarctata fuit, juxta illud; *qui dividit, destruit.*

Aut ipsius structura memorata.

Inter alia monumenta antiquitatis, visitur in Vrbe Templum, quod ferreus tridens Turri campanariæ impositus, & traditio majorum Neptuno ab Ethnicis exstructum fuisse testatur. Inde post aliquot sæcula ab Apostolorum Principe ex Novalesia, ubi Priscillam Neronis Neptem inviserat, Romam redeunte in Deiparæ Virginis cultum meliore titulo translatum est. Arcus etiam miro artis ingenio, Octaviano Augusto in Italiam migranti erectus, in Triumphi gratulationem Veteris Vrbis celebrat magnificentiam, ac demonstrat antiquitatem; cujus exemplar infra subjiciemus.

Arcus.

Agri circumcentis amœnitas.

Montibus & Collibus amœnissimis ac feracissimis coronatur, tantâ fructuum ac vini præcipuè ubertate, ut abundè finitimas in regiones exundet: totam planitiem præter fontes uberrimos, flumina duo Duria & Cinitia interfluunt, quorum utilitas, tum aquarum salubritate, tum telluris fœcunditate commendatur.

Arx Sanctæ Mariæ.

Imminet Vrbis lateri, quà vergit ad Septentrionem, arx munitissima, elato colli durissimum in lapidem impositа, quæ à Virginis nomine, firmissimâ scilicet omnium munitione, Arx Sanctæ Mariæ Secusii nuncupatur. Inde celsum caput attollit Mons Roccamelonus, quem plerique inter Italiæ montes altissimum credidêre, & in ejus vertice Templum olim exsti-

Mons Roccamelonus.

stitisse valdè concinnum, Iovi dicatum, quadratis lapidibus, ex laminis & plumbo colligatis. Hodie verò visitur Ænea effigies, prodiga miraculorum, Augustissimæ Virgini Mariæ nuncupata, ad quam frequentes ob gratias multa vota appenduntur, Viæ Delphinatis & Sabaudiæ velut ad tutissimum itinerum Ducem conveniunt, & ingens est quintâ Augusti populorum concursus.

Ænea effigies B. Virginis Mariæ nuncupata.

Tria Religiosorum domicilia in Vrbe.

Tria sunt in Vrbe Religiosorum domicilia, nec parva, nec invenusta, inter quæ potissimum celebratur S. Iusti Abbatia, plurimis muneribusque prædiis ab Antiquis Secusii Marchionibus locupletata, eam olim ex sacra Divi Benedicti familia Religiosi non pauci incoluerunt, nunc per temporum vicissitudines Canonicis Regularibus cessit, & Abbatia in Commendam redacta. In hoc Templo Corpora Sanctorum Iusti Martyris, & Mauri Abbatis, ex Benedictina Familia; Hugonis Lugdunensis Episcopi, Caroli Magni Francorum Regis filii, & Stephani Protomartyris anno 1652. reperta, patrocinio suo tuentur addictissimam Civitatem, & repetitis gratiarum donis civium augent pietatem. Sunt & ibidem S. Bartholomæi Apostoli Brachium, & S. Remigii, quæ ut scripsit Baldessanus à Martino V. P. M. cùm à Constantiensi Concilio Romam repeteret, & in eadem Vrbe commoratus esset, ibi reposita fuere ossa, Divi Laurentii nonnulla, S. Blasii Episcopi & Martyris pollex, parva etiam crucis Dominicæ pars, præter alia quæ ibidem à Carolo Magno, exorantibus Hugone & Ludovico ejus filiis, ex eadem Divi Benedicti familia, cùm Româ in Galliam redux, per eandem pertransiret, concessa sunt.

S. Iusti Abbatia.

Corpora Sanctorum & reliquiæ in hoc Templo.

Inter antiquas hujusce Vrbis Ecclesias enumerabantur sequentes: Ecclesia Sanctorum Petri & Pauli, Sanctorum Iacobi & Philippi, S. Saturnini, S. Martini, S. Marcellini, S. Eusebii, S. Christophori, S. Mariæ de Vravonio, S. Eusebii, S. Constantii & S. Iuliani. Quæ omnes in quodam Taurinensis Episcopi diplomate descriptæ reperiuntur, à Clericis sæcularibus tunc administratæ: ex quibus facillimum est arguere, veterem hujus Vrbis amplitudinem; major tamen earum pars in cineres redacta fuit, Federici prædicti Imperatoris incendio. Quarum loco nonnullæ aliæ subrogatæ, Cœnobium S. Francisci Conventualium, ab eodem Sancto fundatum, promovente pietate Beatricis Genevensis Thomæ Sabaudiæ Comitis uxoris, ubi pars vestis ejusdem Sancti religiosè custoditur. Et Capuccinorum ejusdem Ordinis, à Carolo Emanuele I. Sabaudiæ Duce conditum.

Antiquæ hujus Vrbis Ecclesiæ.

Recentiores Ecclesiæ.

Sunt qui scripserunt, Hannibalem Carthaginensem hanc Vallem & Cinisium montem pertransisse, & ex Rocameloni Montis cacumine amœnissimam Subalpinam Galliam Ducibus suis ostendisse, ut ad eam animo alacriore descenderent; hinc que Taurinum invasisse, ut reliquis suis copiis facilius jungeretur; & ob id montem Genevrum conscendisse, ut Publii Cornelii Scipionis, maritimas Alpes custodientis, exercitum declinaret.

Hannibal hanc Vallem pertransisse fertur.

Secusinos Marchiones in Gentilitio symbolo bipartito, primâ parte argenteâ turrim rubram, alterâ verò rubrâ argenteam gestasse, non aliam ob causam multi existimarunt; quàm ut celeberrimos eos montes Genevrum & Cinisium, sibi custodiendos ab Imperatoribus traditos ostenderent. Genevrum montem Novalesiæ Chronista à D. Chéne relatus lib. 2. Hist. Gall. montem Geminum, sive Ianuam Regni Italiæ vocitavit: quod proculdubio Secusinorum potentiam Marchionum arguebat.

Marchionum Gentilitium symbolum.

In dictis montibus & adjacentibus ferri fodinæ plurimæ, item & lapidicinæ, fodinæ marmoreæ candidissimi coloris, nec non & viridis cum nigrocandentibus maculis, reperiuntur.

Fodinæ & lapidicinæ plurimæ.

In primo aditu, vestibuloque Suburbii, & Regione ultra Duriam, dicta vernaculè *di la di Dora*, quædam apparent Rudera antiqui marmorei Triumphalis Arcûs, quem Iulio Cæ-

Arcus Marmoreus.

sari excitatum ferunt Anno ante Christum natum quinquagesimo. Cùm à Civibus disjectus fuisset, ut ex eisdem ingentibus marmoreis saxis impositus Duriæ Flumini pons, ad commodiorem transitum conficeretur, ut etiam nunc videre est, Carolus III. Sabaudiæ Dux cognomento Bonus, tunc imperans, hoc sibi renunciato puniendos Vrbis Syndicos continuò mandavit, quòd ausi fuissent, inscio & inconsulto Principe, destructioni tam veteris monumenti manum admovere, prout ex Scripturis, in ejusdem Vrbis tabulario repositis, ipsismet actis & sententiâ apparet.

Sepulchrum antiquum An. 1666. repertum.

Anno 1666. ineunte vere, non longiùs quinquaginta passibus ab eisdem ruinis, cùm rurales quidam fossam excàvarent, sepulchrum ibidem inventum fuit quadrangulare, & ex coctis lateribus quadratis constructum, latitudinis plusquam bipedalis ex quolibet latere, calce forti, tenacique bitumine aptissimè conjunctis. Exterior ejusdem facies dimidii anaglyphi opus referebat, in quo reperti cineres cum ossibus nonnullis fermè consumptis: lychni quatuor in eodem in quatuor angulos dispositi, excocti, & mirè nitidi. Item æneum Numisma, cujus diameter ad uncias duas accedebat: ex una parte laureati Imperatoris effigiem repræsentans cum sequentibus verbis DOMITIANVS AVGVSTVS, sine ullâ prorsus rubigine, adeo perpolitum, ut nuperrimè excusum videretur: ex altera verò parte Deæ Vestæ effigiem referebat, quod tunc temporis Duci delatum fuit. In eodem etiam fuit sepulchro repertum Sceptrum Imperiale ex marmore efformatum, non ligno, fortasse ne tineis, aut nimiâ longi temporis edacitate absumeretur. Quod sanè demonstrat Magni alicujus Imperatoris exercitus, aut Regis hos cineres exstitisse. Dubitari etiam meritò posset, an fuerit Cottii Regis sepulchrum, si Ammiano Marcellino, ut supra diximus, fides est præstanda, lib. 15. ejusdem Historiæ, quod prospici ab Vrbis mœnibus posse, asseruit, nec ab eisdem istud longè absit. Licet enim repertum Numisma DOMITIANI AVGVSTI nomen præferat, non tamen suspicari debemus Imperatorem fuisse, qui Nervam Imperiali dignitate præcesserat, cujus Corpus viâ Latinâ Romæ funeratum in ejusdem vitâ refert Suetonius.

Vrbis Magistratus.

Publicam Vrbis administrationem gerunt duo Syndici, ac decem Consiliarii ex eisdem Civibus selecti, præter Secretarium. Ad onera publica sustinenda quatuor concurrunt circumjacentia Oppida, scilicet Mompanterium, Foresium, Meana, & Matrum. In eligendo Iudice tres per Consilium proponuntur ex Civibus Duci, ex quibus eum admittit Princeps quem maximè probat. Primæ cognitionis judicium ad eundem spectat, provocationis causæ vel ad Provinciæ Præfectum, vel ad Senatum Pedemontanum devolvuntur.

Electio Iudicis.

Pruna Secusina.

Hæc Vrbs cælo gaudet salubérrimo, solum inter alios fructus Poma profert, Secusina dicta, nomine ab ipsamet Vrbe deducto, quæ diu servantur, & fermè ad integrum annum, jucundissimi saporis & aspectus, cùm purpurea sint, & dulcorem acredini habeant admixtum, quæ ad longinquas Regiones importantur, & ab omnibus summopere expetuntur.

Habitatores negotiatores.

Habitatores negotiis incumbunt, mercatus habent saltem semel qualibet hebdomada valdè frequentes. Nundinas etiam celebrant semel in Anno, & ipsomet Divi Matthæi Apostoli & Euangelistæ Festo, Septembri mense; ad eas enim confugiunt mercatores & ex Italia, & ex Gallia, & adjacentibus Regionibus, ex circumjacentibus montibus tanta Armentorum præsertim, & injugum Boum concurrit copia, ut eorundem capita supra quinquaginta millia excessisse contigerit.

Nundinæ anniversariæ.

Armentorum & Boum frequentia.

Habitatores Gallico & Italico sermone utuntur.

Gallico atque Italico prout res & occasio postulat sermone utuntur, ob exterarum gentium frequentiam, & præsertim Gallorum, cùm ex Italia in Galliam & ex eadem in Italiam frequentior hæc sit Via.

Gubernator.

Gubernatorem habet, qui Vrbi & Pro-

& Arcis Præfectus triennio.

Provinciæ præest, Arcem verò alius regit Præfectus; ambo à Duce eliguntur, qui triennio transacto, ad Principis nutum vel mutantur, vel confirmantur.

Ad demonstrandam veterem hujusce Vrbis magnificentiam, has subdere Inscriptiones Antiquas ex multis, quæ ibidem repertæ fuerunt, visum fuit.

Sub cujusdam Secusinæ Domûs Porticu hæc reperta fuit

Inscriptiones Antiquæ.

CORNELIÆ SALONINÆ
AVGVSTÆ CONIVGI IMP. CÆS.
P. LICINII GALLIENI IMPERATORIS R. F. INVICT.
AVG. ORDO SPLENDIDISS. SEGVSIORVM.

Ad Portam Beatam dictam ejusdem Vrbis

IMP. CÆSAR. P. M. AVG. F. VAL. M. F. A. M. Q. PIO FELICI
INVICTO ET AVG. P. P. ORDO SPLENDIDISS. CIVIT.
SEGVS. CVRANTE AVRELIO SATVRNINO VR. PRÆS.
D. N. M. Q. F.

In quodam pariete Plateæ ejusdem Vrbis, quæ inde ad Propugnaculum Viride dictum Taurini importata fuit

IMP. CÆSARI G. VALERIO DIOCLETIANO P. F.
INVICT. AVG.
ORDO SPLENDIDISS. CIVITATIS SECVSIÆ
CVRANTE AVRELIO SATVRNINO VRB. PRÆSIDE.
D. N. M. Q. F.

Sub Porticu Ædium de Bonis

GENIO MVNICIPI SEGVSINI
IVL. MARCELLINVS V. R. EX VOTO POSVIT.

In eadem Vrbe, & inter ruinas Thermarum Gratiani, quæ translata inde fuit in D. Iusti Abbatiæ Refectorio vulgò dicto

SALVIS D. D. D. N. N. N.
VALENTE GRATIANO ET VALENTINIANO
THERMAS GRATIANAS
DVDVM COEPTAS ET OMISSAS
Q. MAG. ALPIVM COTTIARVM PRÆFECTVS
EXTRVXIT
ET VSVI SEGVSIANÆ REDDIDIT CIVITATI
FIRMAVIT ET FISTVLAS DEDIT
AQVAM DEDVXIT. NE QVID VEL
VTILITATI VEL VRBIS DEESSET
COMMODITATI.

SEGUSIUM PRIMA AB ALPIBUS COTIIS CIVITAS



ARCVS MARMOREVS SECVSII.

EXstat adhuc Secusii, licet temporis, Barbarorumque injuriis non omnino superstes, Arcus Marmoreus, æquè Victoriarum Augusti Cæsaris, cui in Italiam reduci credibile est à Cottio Rege, qui in Secusina Vrbe, ac circumjacente Alpium tractu dominabatur, sive à subditis Cottio Civitatibus, fuisse erectus, antiquæ magnificentiæ non ignobile monumentum. Siquidem Mole Marmoreâ ab imo vestigio ad verticem in 40. Romanos pedes assurgit, æquali ad utramque faciem 14. circiter pedum latitudine extensus.

Innititur tota Moles quatuor hinc inde Marmoreis Columnis, quæ Striis intersectæ, ornatæque Corinthii Ordinis Epistyliis, superiorem structuræ partem suspendunt. Circumvolvitur desuper pulcherrimo undequaque ambitu grandis Corona, ornatissimi amplitudine Zophori, elegantique mutulorum projecturâ spectabilis: attolluntur inde ex utroque latere ad debita intervalla stylobatæ, amplum ad anteriorem partem spatium intercipientes, in quo grandioribus characteribus hujus Arcûs origo hodie etiam spectantibus magna ex parte gravi inscriptione declaratur.

Reliquas superioris structuræ partes ferè omnes tempus absumpsit; vix enim superfunt interciſa aliqua statuarum frusta, cancellorumque reliquiæ, exesa videlicet veteris magnificentiæ vestigia, unde tamen facilè colligas, ad operis coronamentum circumquaque olim perpetuo ordine ad fastigium excurrisse cancellos ad latera stylobatis terminatos, ex quibus ærea identidem simulacra consurgerent.

Inter cætera verò admirabilia sunt Epistyliorum Encarpia, quæ contra aëris inclementiam integra, & illæsa hactenus permanent, ex ea parte, quâ sinistrum molis hujusce latus Montem Cenisium aspicit: eâ quippe arte elaborata sunt, quæ etiam præstantissimos hujus ætatis artifices facilius ad admirationem, quàm ad imitationem permoveant. Ingens in medio ostium aperitur, marmoreis hinc inde Columnis, circumductoque in arcum superliminari, exornatum, videturque in eo interiorem muri crassitiem in 15. & supra pedes protendi: adeoque est totum opus affabrè laboratum, ut ægrè dignosci possit, quanam ex parte inter se marmora connectantur.

In Columnarum Stylobatis & in Zophoro grandis coronæ frequentibus statuis opere anaglyptico excisis conceptum Civitatum votum, sacrificiaque varia pro Augusti Cæsaris victoriis describuntur. Idem ex altera parte exprimitur, ubi præsto sunt ad aram, à Sacerdote ritu Sabino præcincto, mactanda diversi generis animalia, à Ministris corollas, & serta gestantibus, pateras & vasa deferentibus, longo ordine adducta in exemplari signato. Quæ omnia post tot sæcula, adhuc illæsa, & in sua integritate permanerent, nisi, ut diximus, Barbaricæ Nationes Italico nomini infensissimæ molem hanc, quantùm per fata licuit, offendentes, temporis edacitati viam aperuissent.

Supra descripti verò Arcus Mar-


morei quod per Barbarorum injurias, temporisque edacitatem R. D. Petro Iofredo Nicienſi, Sabaudiæ Ducis Hiſtoriographo; Anno 1671. adhibitâ omnimodâ diligentiâ legere licuit, his notis accipe:

IMP. CÆSARI. AVGVSTO. DIVI. F. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVNIC. POTESTATIS. XV. IMP. XIIII.

REACORVM. CATVRIGVM. MEDVLIORVM. TEBAVIORVM. ADANATIVM.

VICTOR.

Hæc iisdemmet notis concepta Inſcriptio in utraque Septentrionali ſcilicet, & Meridionali Arcûs facie extabat, uti attentè conſideranti conjicere licet ex reliquiis characterum. Falluntur verò quàm maximè illi, qui longiſſimam illam Plinii lib. 3. cap. 20. poſitam in Trophæo Alpium Inſcriptionem collocant in hocce Secuſino Arcu, in quo nihil tale eſſe, fuiſſe verò ad Auguſti Trophæa in Alpibus maritimis, ubi nunc Torbia, Nicienſis Diœceſis Oppidum, idem Iofredus aliàs aſſeruit, ac in ea, quam prælo ſubdere parat, Alpium Maritimarum Hiſtoria, lucè clariùs apparebit.


IMP. CAESARI. AVGVSTO DIVI F PONTIFICI MAXIMO TRIBVNIC. POTESTATIS XV IMP. XIIII.
REACORVM. CATVRICVM. MEDVLIORVM. TEBAVIORVM. ADANATIVM
VICTOR
ARCVS
MARMOREVS
ut nunc visitur
SECVSII.

ARX TVRRIS,
IN
LVCERNATVM VALLE.

Pellicis & Chizoni amnium origo.

INter Pellicem, atque Chizonum amnes (quorum primus ex Colle, quem Crucis dicunt, alter verò ex Iuniperi Montis vicinià ortus, post emensum aliquod itineris spatium, permixtis aquis in Padum intrat) nonnullæ Valles in Cottiarum Alpium intima penetrant, hæreticis ab antiquissimo tempore refertissimæ. Cùm enim in sectarios illos, qui Pauperes de Lugduno, Valdenses, Albigenses, aliisque nominibus indigitabantur, quadringentis ab hinc annis diversis suppliciis à sæcularibus non modò Principibus, verùm etiam ab Ecclesiarum Prælatis, Fideique Inquisitoribus acerrimè animadverteretur, ii in harum Vallium sese angustiis occultantes, difficili locorum accessu freti, prava dogmata, quibus imbuti erant, disseminantes, & ad posteros propagantes, maluerunt Calvinianos anteriore sæculo amplecti errores, quàm Catholicæ Doctrinæ subscribere. Quamobrem neque Sabaudorum Principum armis, neque Taurinensium Præsulum, quorum Diœcesis is regionis tractus est membrum, piis hortationibus, neque sedulà Inquisitorum vigilantià, effici potuit, ut inde abirent, vel resipiscerent. Fuère tamen initæ inter prædictos Principes, sectariosque nonnullæ conditiones, etsi non semel à rebellantibus violatæ, quibus adacti certis se terminis continere, prohibebantur ultra præfatarum Vallium confinia quid stabile possidere.

Pauperes de Lugduno, Valdenses, Albigenses, &c.

Harum quæ occidentalior est Vallis Lucernæ dicitur à Lucerna scilicet Oppido, supra dexteram memorati Pellicis fluvii ripam, ad Vallis, quæ à Bubbiana, inferiore loco posita, ad prædictum usque Crucis Collem longo spatio protenditur, primos introitus sito. Is, satis amplus, atque mercimoniis aptus locus, nullos impræsentiarum publicè hæresis sectatores alit: immo promovendæ pietati, rectæque Fidei in Valle reliqua seminandæ, constructa ibidem fuere Religiosorum Cœnobia duo, B. Mariæ Servorum unum, atque Observantum S. Franciſci Reformatorum alterum. Inter hos per multos versatus annos R. P. F. Illuminatus Faverottus Taurinensis, Missionarius Apostolicus, quamplures in toto eo tractu animas, quà publicis concionibus, quà privatis hortationibus, quà doctissimis editis voluminibus, & quod caput est, probatissimæ vitæ exemplo, à tartarei lupi ereptas faucibus Romanæ Ecclesiæ lucri fecit: interque eas, vidimus præcipuum, qui apud suos in magna existimatione erat, Ministrum, in Ecclesiâ Metropolitana Taurinensi hoc anno 1678. quo ista scribimus, hæresim publicè abjurantem, adstante cum Regia Matre, Sabaudo Duce, numeroque populi maximo.

Vallis Lucernæ.

Lucerna Oppidum.

Cœnobia ibi duo constructa.

R. P. F. Illuminatus Faverottus Missionarius Apostolicus.

Circumstans Lucernæ ager, paucis cedens amœnitate, aquisque perennibus irrigatus, ea omnia profert, quæ sunt hominum jumentorumque usibus necessaria, triticum imprimis, vinum, omnis, in Pedemontio provenientis, generis fruges, castaneas præcipuè, legumina, olera, fœnum, sylvas cæduas, carnisque gustatu exquisitæ ingentem copiam. Turri verò, de qua hic peculiariter scribendum

Lucernæ agri amœnitas & fertilitas.

restat, cujusque figuram exactè delineatam repræsentamus, circumpositi colles minùs fœcundi, feracesque naturâ sunt.

Arx Turrivetus olim Castrum.

Arx loco eminenti, formæ tamen regularis structuræ capaci, sedet, ubi cum olim, vetustatem quidem ostentans, sed expugnatu admodum difficile Castrum esset, Galli illud, armatâ manu anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono machinis adhibitis diruerunt. Cumque ibidem, atque in propriis ædibus, pii non minùs, quàm munifici Sacerdotis, Marci Aurelii de Rorengis, ex Lucernæ Comitibus, Lucernatumque Catholici Pastoris ad annum 1620. Fratrum Reformatorum Cœnobio constructo, ex quo veluti ex Equo Trojano in reliquas Missiones à Religiosis Fidei pugilibus prodibatur, ignem in illud Hæretici die 26. Iulii anno 1655. injecissent, atque ædes ipsas in cinerem redegissent, Carolus Emanuel Secundus Dux Allobrogum, volens Catholicorum, Religionisque quieti providere, pentagonam ibidem munitionem, quinque videlicet distinctam propugnaculis, ductâ extrinsecus fossâ, mœnibusque ad recentiorem militaris Architecturæ formam dispositis, excitavit, addito bombardarum, militumque conductorum ex Vallesia, justo numero: ex quo factum est, ut populus is, quondam in novitates pronus, sese plus quàm antea intra præscriptos limites continuerit; perversumque dogma Ministri iniquitatis nequaquam in circumposita Oppida ausi tam facilè fuerint dilatare.

A Gallis An. 1549. diruitur.

Ibidem à Marco Aurelio de Rorengis Anno 1620. Cœnobium construitur.

Die 26. Iul. 1655. ab Hæreticis combustum.

Carolus Eman. II. pentagonam ibidem munitionem excitavit.

Cæterùm, sicuti juri ei Provinciæ, Vallique dicundo pro secunda instantia, Ducalis Præfectus Lucernæ residet, ita in prima sententiam proferunt Iudices ordinarii, à Locorum immediatis Dominis constituti. Antiquâ porrò pollere nobilitate constat Lucernæ Comites (ii inter quatuor præcipuas, eâ dignitate inter Pedemontanos insignitas familias locum obtinent) ex eaque prodiisse viros armis, litterisque admodum illustres, quos recensere supersedemus, cùm id magna ex parte præstiterit in priore Coronæ Regalis parte Franciscus Augustinus ab Ecclesia Præsul Salutiensis.

Iuris dicundi ratio huic provinciæ & Valli.

Lucernæ Comitum nobilitas.

CHE-

FORTE DI S.ta MARIA DI LVCERNA



CHERIENSIS CIVITAS.

Nomen.

Situs.

CHerium, sive Carium, Italis *Chieri*, quinque non ampliùs passuum millibus ab Augusta Taurinorum ad Ortum distans, non abs re creditur esse ea, quæ à Plinio, nobilia circumpadanæ Oræ Oppida recensenti, Pollentiam inter & Forum Fulvii, sub nomine Carreæ Potentiæ memoratur. Qui à Cara Numeriani Filia, ibidem, ut putant, in lucem edita, vel à Carino, Carove Cæsaribus, nominis etymon ducunt, nulla veterum id probant auctoritate: quamobrem, ne ipsi quoque captare velle nugas, & inania videamur, licet antiquitatem Oppidi ultrò admittamus, suadeantque floruisse olim non pauca, quæ occurrunt Romanum ævum redolentia documenta; fatemur tamen de eo vix esse, quod scriptum reperiatur ante Reparatæ Salutis annum 1154. quo Fridericus Cæsar, cognomento Ænobarbus, Vercellis Taurinum profectus, postquam Oppidanos Cairæ (uti placet verbis Ottonis, qui tunc vivebat, Episcopi Frisingensis) simul & Astenses; eò quòd præcepto Principis, de exhibenda Marchioni suo Gullielmo de Monteferrato justitia minimè paruissent, rebellionis hostes judicatos proscripsit, ducto postmodum ad eorundem puniendam contumaciam exercitu, Cairam veniens victualibus refertam, habitatoribus tamen, qui ad vicina montana diffugerant, vacuam, aliquot ibi dies mansit, Turres, quæ non paucæ ibidem fuêre, destruxit, Oppidumque succendit. Non post multum tempus, è suis cineribus rediviva pristino fuisse videtur restituta splendori. Nam licet idem Fridericus, apud Castrum Aucimiacum in confinio Vercellensi, quinque post annos, agens, Carolo Præsuli Taurinensi, suarum partium contra Romanam Ecclesiam sectatori, diplomate, barbaricis ejus ætatis verbis concepto donaverit, inter cætera, *Curtem de Cario, cum plebe, & Castello, & mercatis, & districto*; ejusdemque Præsulis successor Milo Cardanus Cherienses, sibi morem gerere recusantes, Turribus iteratò eversis, ad fidelitatis juramentum, obedientiamque coëgerit: restitutis tamen, eodem fermè tempore, in integrum rebus, brevi in Villam maximam (ità illam dicit alio diplomate idem Cæsar) munitissimamque excrevit, populoque, uti de eà quondam cecinerat Liguriñus, nimis refertam.

Plin. Hist. nat. lib. 3. cap. 5.

Antiquitas.

An. 1154 à Friderico Ænobarbo exusta fuit.

De gest. Frid. Imp. l. 2. c. 15.

Sed brevi restituta.

Compositis inde, sive in formam Reipublicæ, sive sub Imperii nomine, rebus suis, id regiminis diù tenuit, quo pleræque Civitates Insubriæ utebantur, quibuscum fœdera sancire, bellum finitimis indicere, pacem innovare, leges sibi proprias statuere minimè dubitavit. Hinc factum est, ut, quamvis proprium nunquam ea habuerit Antistitem, sed Episcopo, Archiepiscopove in spiritualibus semper paruerit Taurinensi, Civitatis tamen prærogativà non à Principibus suis modò, atque non ita pridem, verùm etiam à bonæ notæ Scriptoribus, qui ante præsens sæculum floruerunt, credita fuerit non indigna.

Agri circumjacentis amœnitas & cæli salubritas.

Sedet Orientem versùs, Meridiemque, declivi loco, ad eorum radices collium, qui Montisferrati quondam nomine censebantur, solo amœnissimo, cæloque saluberrimo, ac clementissimo. Vitiferis ad Boream, & Occasum, pomiferisque circumdata passim clivis, ad Austrum, Ortumque longè, latèque patentis planitiei

aſpectu jucundiſſimo exhilaratur: unde fit, ut ſuppeditantibus affatim agris quidquid confert ad humanæ vitæ neceſſitatem, incolæ habeant, unde commodè diuque vivant. Nec verò regionis feracitas (quod alibi ſæpè contingit) in cauſa eſt, ut animi otio contabeſcant: quin imo cùm Cherienſes acutiſſimo præditi ſint ingenio, atque admodum induſtrii, uti excolendis ſeſe exercent agris, ita bonas expetunt ultrò artes, lineam, laneam, bombycinam, ſericam præſertim texturam, quam in diverſas distrahunt regiones. Nec verò minùs, quàm in mechanicis, proficiunt in literis, ac liberalibus diſciplinis, vel in tractandis armis, quoties datur occaſio. Nam paucas novimus in tota Sabaudica ditione Vrbes, quæ tot in Palladis Martisque muneribus genuerint memorandos Viros; paucas, ex quibus tot prodierint Literati, tot Equites, tot militarium expeditionum Præfecti, tot Antiſtites infulati, paucas denique, in quibus plures familiæ ſolidam profiteantur, cunctisque numeris probatam nobilitatem, unde quaſi ex equo Trojano eſt eadem penes diverſas gentes exteras implantata, ubi Filii, ac Nepotes ſunt ſibi ipſis de Cherienſi Patrum, aut Avorum origine ſæpè gratulabundi. Illud non omittendum, numerum eorum, qui in hàc Civitate nobiliter vivunt, adeò excreviſſe, ut duo ſupra viginti S. Ioannis Hieroſolymitani Milites, quos nunc Melitenſes dicimus, ex eadem oriundi, ibidem unà aliquandò adfuiſſe perhibeantur, interque eos nonnulli majori ſpectabiles Cruce, illis, qui procul Melitæ, alibive terrarum agebant, minimè computatis. Non deeſt verò Cherienſi avitarum opum fulcimentum nobilitati, latè enim non pauci è Nobilibus dominantur in fat populoſis pagis, caſtellisque circumpoſiti Comitatus, in quibus turritæ, quæ procul eminent, veteres arces, palatiaque, ſumptu magnifico in ſummo faſtigio coronata, oſtentant potentiam eorum, qui ædificavere olim, & qui impræſentiarum ea obtinent, Dominorum. Hæc inter, vetere famâ nota Arignani, Gamenariique Caſtella; ad quorum primum, Vitruvio indicante, cùm circa Alpes exercitum duxiſſet Cæſar, municipes munitione confiſos commeatumque præbere recuſantes, igni admoto primùm machinæ cujusdam è trabibus larignis compactæ, unde miſſilia jaciebant, beneficio privare ſtuduit; verùm cùm ignem ea materies non reciperet, extrà teli jactum circumvallatos ad deditionem coëgit, Larigni, propter laricis ligni copiam ibidem provenientis (ex quo poſteà factum credimus Arignanum) nomine impoſito; & hoc quidem Caſtellum Nobiles de Coſta jam diu poſſident: alterum verò (Familiæ de Tana Dominium) Hiſtoricis Monferratenſibus celebratur, quòd inito ad illud anno 1340. inter Ioannæ Neapolitanæ Reginæ, & Ioannis Monferratenſis Marchionis copias, acri certamine, ejusdem Reginæ exercitus deletus ſit, ipſeque armorum Imperator Renforciatus d'Agoult, fortiter pugnans, ceciderit.

Civet acutiſſimo præditi ingenio.

Literis & armis dediti.

Nobilium familiarum in hac urbe frequentia.

Earum opulentia.

Arignani & Gamenarii Caſtella antiqua. Vitruv. Architect. lib. 2.

Benu. Sangiorg. Hiſt. di Monf. m. ſ. Cron. di Saluz. m. ſ.

Sed ut ipſam conſideremus attentiùs Civitatem, ſatis amplo, veteris quidem ſtructuræ, ſed turribus diſtincto, foſſisque munito ambitur muro; minùs tamen ſibi promittens de mœnium firmitate, quàm de illibata Civium erga Principem ſuum fide, ſi fortior hoſtis aggrediatur. Addebat olim Civitati præſidium Arx minimè contemnenda, dicta *la Rochetta*, quæ anteriori ſæculo ſolo disjecta eſt: Inerant etiam tria, unum in ſuperiore clivo, duo in inferiori planitie propugnacula: ea tamen pari bellorum impetu corruerunt. Portæ numerantur ſex, totidem Vrbis regionibus, quas vocant Quarterios, reſpondentes. Harum una in regionem definit, Arenarum vocabulo nuncupatam, ab aliquo forſan exhibendis ludis ibi quondam exiſtente Amphitheatro. Reliquæ ſunt, quæ *de Novo*, *de Vayro*, *de Moreto*, *de Albaſana*, *de Gialdo* cognominantur. E portis, per latè patentes vias pala-

Ipſius Civitatis deſcriptio.

La Rochetta.

Portæ ſex.

tiis

tiis ſeptas identidem, turribuſque, in quatuor itur magnoperè ampla fora, mercimoniis, quæ bis in hebdomada quaque proſtant, vel deambulatione Nobilium frequentata. Tot, quæ frequentes occurrunt, turrium ſtruendarum in cauſa fuiſſe dicuntur veteres factiones eorum, qui *de albergò*, & eorum, qui *ſine albergo* appellabantur, ob quas Civili in Cives graſſante odio, ſtructis in propugnaculi formam ædibus, ſibi quisque, rebusque cavebat ſuis. Longa tamen diſſidia, animorumque contentiones ſedavit annus 1533. quo cautum eſt, ut in unum omnes coaleſcerent cœtum, ſub unico Abbate (tale olim Decurionibus publicis nomen erat) ſive Syndico; atque in celebritatibus ii indiſcriminatim loco præcederent, quos, non vetus ſtemma, ſed ætas provectior commendaret. Hinc depoſitæ ſimultates, ſecutaque pax, atque ea lex, annuente Principe, ritè ſancita hactenus obſervatur. Concordiæ verò Cherienſes inter introducendæ non minùs, quàm obſirmandæ, maximè contulit Sabaudicum, quod ultrò ab anno usque 1347. expetière, fideliſſimèque ſemper, ut dixi, coluère, dominum, juratâ Amedeo Viridi Sabaudiæ Comiti, & Iacobo Sabaudo ejusdem Conſanguineo, quem Principem Achaiæ dicebant, fidelitate, cùm ei, quam ſuperiùs nominavi, Ioannæ Neapolitanorum Reginæ, ſub certis pactis, & conditionibus antèa paruiſſent.

Quatuor fora.

Turrium frequentia unde.

Diſſidia Civium An. 1533. ſedata.

Abbas olim Decurionum.

Cherienſis Civitas ab An. 1347. Sabaudis ea domina paruit.

Antea Ioannæ Neapol. Reginæ.

At verò dicata Deo Templa, Baſilicæque, virorum nobilium domibus, palatiisque nulla ex parte cedunt: tot enim in hac Civitate numerantur loca divino cultui mancipata, ut alibi fortaſſe plura, pro ejusdem magnitudine, ac populi numero non invenias, neque totidem numerent illarum pleræque Vrbium, quas ſedes ornat Epiſcopalis. Vbi major exurgit Baſilica, S. Maria de Scala cognominata, fama eſt Minervæ quondam litatum, antequam locus Chriſtiano ritu expiaretur. Ea gaudet titulo peculiari inſignis Collegiatæ. Canonicos inter magno numero divini ibi horas officii perſolventes, dignitate potiores ſunt Præpoſitus, Archipresbyter, Cantor. Ii ab Innocentii II. Romani Pont. usque temporibus, quampluribus Præbendarum loco prædiis, ac poſſeſſionibus attributis, ſub ſpeciali Apoſtolicæ Sedis protectione recepti ſunt, Baſilicæ Odeum F. Io. Baptiſta de Bertonis S. Io. Hieroſolymitani Bailivus ampliavit, ſculpturisque, picturis & marmoribus, inſigni ſanè magnificentiâ, exornavit. Id ipſum in reliquo Templo, excurrentibus hinc inde Sacellis præſtitère aliæ, divites non minùs, quàm nobilitatis ſplendore illuſtres Familiæ, de Balbis præſertim, Bertonis, Tanâ, Broliâ, Villâ, Balbianis, Scottis, Turinettis, quarum gentilitia paſſim eminent, ad erudiendam poſterorum memoriam, inſignia; familiæ dè Tana præſertim, cujus piâ liberalitate olim ſtructum eſt Sacellum omnium antiquiſſimum, eidem Baſilicæ adjacens, Baptiſterii: Non omittendum, Corpora SS. Martyrum Antiochenorum, Iuliani, Baſiliſſæ, Geneſiæque, ex regionibus Orientalibus in hunc Subalpinum quondam advecta tractum, aliquandiù occultata, ac poſtmodum divino nutu reperta, in hac eadem Eccleſia, piâ veneratione coli, ſimul cum non modica Dominicæ parte Crucis, D. Annæ brachio, aliisque ſacris Lipſanis, quæ longum eſſet enumerare.

Templa & Baſilicæ.

Baſilica major S. Mariæ de Scala.

Aquibus hæc Baſilica ampliata ſit.

Corpora SS. Martyrum & ſacra Lipſana.

Prædicatores, & Minoritæ Cœnobia ſua hâc in Civitate habent admodum elegantia, à primæva usque, ut aſſerunt, Ordinis cujusque eorum fundatione: quæ quidem accepta referunt ii opi, opibusque Broliæ, de Gribaldis, ac de Villa Familiarum; iſti piæ Nobilium de Simeonibus, Bertonisque, qui cognominantur de Balbis, munificentiæ. Sequitur eminenti loco Eremitanorum Auguſtinenſium, eminentiore verò, totique conſpicuo Civitati, Minorum de Obſervantia, ſub titulo D. Georgii, Monaſterium. Nec deeſt eorundem Fratrum, illorum ſcilicet, qui ſtrictiorem Obſervantiam Regulæ profitentes, dicuntur Reformati, aliud ſub invocatione B. Mariæ

Cœnobia Prædicatorum & Minoritarum.

Eremitanorum Auguſtinienſium.

Minorum de Obſervantia.

Eorundem Reformatorum.

de Pace. Quæ fuit sub Divi Antonii Abbatis titulo commendata quondam Præceptoria, curante Mauritio Principe à Sabaudia, cessit Patribus Soc. Iesu, qui habent annexum eidem pro erudienda literis juventute, Collegium simul, ac pro sui Ordinis Tyronibus Domum probationis. Insunt præterea, à Vagnonis Truffarelli Dominis introducti Clerici Regulares D. Pauli, quos Barnabitas vocant, Virginis Deiparæ, dictæ de Consolatione, Ecclesiæ famulantes, ac Presbyteri Congregationis Oratorii à Divo Philippo Nerio institutæ, quibus, ut commodiùs habitarent, proprias familiæ suæ ædes suppeditarunt Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Michael Angelus Brolia Præsul Vercellensis, nec non Thomas Franciscus, itidem Brolia, Abbas S. Constantii, ambo Cherienses, piique non minùs, quàm liberales. Non omittendæ duæ, cum suo quæque eleganti Templo, equestres Præceptoriæ, quas vulgò Commendas dicimus: una quidem sub titulo S. Leonardi, ab Equitibus Hierosolymitanis; alia verò sub invocatione S. Iacobi à Mauritianis administrata. Commemoranda etiam in arenarum, quam dixi, regione sita, Virginis Annunciatæ ædes sacra, ad quam prodigiorum famâ, populi conveniunt ex tota vicinia frequentissimi: nec reticenda Charitatis Domus, sive Nosocomium, curæ Nobilium aliquot demandatum, in pauperum ægrotantium, infantium expositorum, atque peregrinorum subsidium: nec non altera quam dicunt Domum eleemosynæ, ubi ex vetere instituto victus egenis distribuitur, & vestitus. Omittimus sex Laicorum Sodalitia; divino cultui peculiariter addictam Corporis Christi Societatem; Humiliatarum, ut vocant, Sodalitium fœminarum; ac pro alendis destitutis parentum curâ puellis, Orphanotrophium; ut aliquid dicamus de tribus, quibus hæc Civitas peculiariter decoratur inclusarum Sanctimonialium Monasteriis, situ, opibus, pietate atque Deo famulantium Virginum numero, celebrandis. Vnum quidem Cisterciensium, sub titulo S. Andreæ: alterum Clarissarum: tertium verò, Caramanensi Abbati parens, sub D. Margaritæ invocatione, & Regulari D. Dominici instituto.

Patrum Soc. Jesu.

Clerici Regulares D. Pauli Barnabitæ dicti.

Presbyteri Congreg. Oratorii.

Commendæ S. Leonardi & S. Jacobi.

Ædes sacra Virginis Annunciatæ.

Nosocomium.

Domus Eleemosynæ.

Laicorum Sodalitia.

Societas Corporis Christi.

Sodalitium fœminarum

Orphanotrophium.

Tria inclusarum Sanctimonialium Monasteria.

Hæc omnia mœnibus includuntur: unde si in amœnissimos circum circa agros egrediaris, non longè occurret, ad rectissimæ sensimque ascendentis viæ extrema, Cœnobium Fratrum Capuccinorum; atque in summis Boream versùs collibus, per quos transmitti Taurinum solet, procul eminentes spectabis ædes Carmelitarum cum Ecclesia (cui B. Mariæ de Pinu nomen) Parochiali. Adsunt præterea quamplura minora Sacella, per diversos agri dispersa fines. Præter externam hanc, cujus modò memini, duæ intra Civitatem Ecclesiæ gaudent jure Parochiali, Collegiata scilicet, & S. Georgii Fratrum Minorum de Observantia, superiùs memoratæ, à quibus populus urbanus, rusticusque ad tredecim animarum millia computatus, Ecclesiastica percipit Sacramenta.

Cœnobium Capuccinorum extra civitatem.


Carmelitarum cum Eccles. Parochiali B. Mariæ de Pinu.

Duæ intra Civitatem Eccles. Paroch.

Civitati pro Principe moderandæ præest Vicarius; Iuri, tam in civilibus, quàm in criminalibus dicundo, Iudex ordinarius, è peritioribus Iurisperitis ab eodem Vicario lectus: tum Cognitores quatuor è Nobilibus, & Mercatoribus bini, & bini Civium publico suffragio nominati, ad quos à Iudice appellatur; sicuti tandem à Cognitoribus ad Vicarium. In Cherienti Provincia Magistratum exercet quoque Referendarius, cujus est in causis ad Principis ærarium spectantibus, nec non à Supremo Senatu delegatis, sive jus dicere, seu referre. Hoc verò ultimo loco addendum, eam esse hujus Civitatis amplitudinem, cæli salubritatem, situsque opportunitatem, ut ad eam publica Scientiarum, Artiumque Academia, aliquandò translata sit, cùm Taurini, ubi erecta fuerat, pestilentiâ officiente, non liceret absque Studentium incommodo residere.

Magistratus.

Academia Taurino ad hanc Civitatem aliquando translata fuit.



CHERIVM CIVITAS.



RIPA OPPIDVM.

Situs.

Nominis Origo.

CHerio Aſtam Pompejam progredientibus, ſtatim occurrit ad lævam Oppidum Ripa, Italice *Riva di Chieri*, cui hujusmodi nomen inditum à loci poſitione credimus: nam circumfuſæ ad Occaſum, Auſtrumque planitiei, ſitu editiore imminet: aquisque, ſuper quibus bino, lapideo hic, ligneo ibi, transitur ponte, potiori ex parte circumdatur, in maximum commodum incolarum.

Aëris ſalubritas & ſoli fertilitas.

Aeri valde ſalubri, & aperto reſpondet ſoli, cum fertilitate juncta, amœnitas: nam ſicuti circumſtantes colles vinetis ubique, frugiferisque plantis abundant; ita totam planitiem copioſiſſima Ceres veſtit; nec deſunt, quæ ad rem hortenſem pertinent, non foris modò, ſed intra ipſum etiam Oppidum, penes cuncta fermè habitantium ædificia: non enim, ut alibi, ſunt ſibi invicem adhærentia, & conjuncta, ſed juſtis diviſa ſpatiis, in quibus quiſque habet, & quod familiæ uſui ſatis ſit, & quod poſſit ad forum olitorium Cherienſe transmittere.

Excell. Dn. Gabriel à Sabaudia loci Toparcha.

Huc loci Excellentiſſimus Dominus Gabriel à Sabaudia, ſummus equeſtris Sabaudi Ducis Militiæ Præfectus, locique Toparcha, Vir bellicâ laude, animi moderatione, aliarumque virtutum ſplendore inſignis, ſi quando ab Aulæ negotiis feriari liceat interdum divertere conſuevit. Ad illum enim, utpotè genitum ex Margarita du Chatelard Ripæ Marchioniſſa, cui Carolus Emanuel primus Dux Sabaudorum, benevolentiæ ergò loci dominium, cum titulo Marchionali contulerat, ejusdem loci Toparchia pervenit.

Civium frequentia.

Cùm verò, ut dixi, ab Auguſta Taurinorum per Cherienſium fines Aſtam tendentibus Oppidum hoc occurrat, id in cauſa eſt, ut populo abundet, eoque utplurimum divite, ob mercimoniorum frequentiam, quotidianumque ultrò citróque commeantium advenarum appulſum.


Cœnobium Auguſtinenſium Eremitanorum.

Inter Familias autem, quæ ibi larem ab antiquo tempore poſuêre, excellunt Groſſi, quorum præcipuè ſumptibus ſatis capax conſpicuumque Cœnobium condidêre, Patrum noſtrorum ævo, Auguſtinenſes Eremitani, auſpice F. Bartholomæo Falcumbello Avilianenſi, qui in ſua Congregatione, quam Lombardiæ vocant, iterum atque iterum Vicariam cum laude exercuit poteſtatem.

Rebus Eccleſiaſticis quis præſit.

Rebus cæteroqui Eccleſiaſticis præeſt Sacerdos unus, Prioris titulo inſignis in primario Templo, ſito Oppidi loco frequentiore, Parochialia adminiſtrans, Archiepiſcopo in ſpiritualibus ſubditus Taurinenſi, qui eousque, ulteriùsque etiam, Diœceſis ſuæ producit fines.

RIPÆ OPPIDVM



PECETVM
OPPIDVM.

CONtinuatus ille amœniſſimorum Collium tractus, qui à Montecalerio Sedulam usque (nunc Caſale S. Euaſii) ſecus Padum flumen protenditur, quamplures habet diſpoſitas hinc inde Villas, Caſtella, Pagos, in quibus, ſi quando ſecedere lubeat ab Vrbium ſtrepitu, Nobiles habent, quo jucundiſſimè otientur. Has inter, deliciis, ruſticationique opportunas ſedes, præcipuum locum obtinet, inter Taurinum, Montemcalerium, Cariumque, Pecetum Oppidum, Comitatûs titulo inſignitum. Id Colle conſpicuo, atque apricoſitum, ad Orientem, atque Auſtrum vergit, ex quo fit, ut non modo cælo gaudeat admodùm ſalubri, verùm etiam finitimorum ad Septentrionem objectu Collium, hyemis incommoda minùs ſentiat. Ager circumfuſus Cererem, Pomonam, Bacchum ita optimum fert, ut nulli, ubertate, ac exquiſito ſapore fructuum, ſit ſecundus. Hinc jucundus in Alpinam, Subalpinamque plagam, in Ligures cispadanos, transpadanosque proſpectus. Hinc liber oculi circumquaque jactus in amœniſſimam Italiæ Regionem.

Situs.

Cæli ſalubritas.

Agri circumfuſi fertilitas & amœnitas.

Oppidanorum numerus ad duo fermè animarum millia cenſetur, qui naturali ſoli, cælique beneficio, eo præditi ſunt ingenio, ut, ſi animum addixerint Martis ac Palladis diſciplinis, mirum in modum excellant. Spiritualia incolis miniſtrantur in Eccleſiis D. Petro Apoſtolorum Principi, atque Sebaſtiano Martyri ſacris. Ineſt præterea Laicorum Sodalitium; nec deſiderantur minora in agris Templa, ut in eis forenſis populus Divinis commodiùs intereſſe queat diebus feſtis.

Oppidanorum numerus & ingenium.

Eccleſiæ.

Quà itur Taurinorum Auguſtam hujusce Oppidi maximè ornat fines celebris illa Camaldulenſium Monachorum, D. Romualdi Abbatis inſtitutum ſectantium, ab immortalis memoriæ Carolo Emanuele Allobrogum Duce, ejus nominis Primo, fundata Eremus, elegantiſſimo viſenda Templo, cujus decorem auget Capella Equitum Sabaudici Ordinis, uniformibus in morem veterum Aſcetarum Cellis, amœniſſimis hortis, atque nemoribus, ac, quod caput eſt, Viri Dei D. Alexandri à Ceva Sacerdotis Camaldulenſis, ejusdem olim Ducis conſcientiæ moderatoris, virtutumque famâ illuſtris Oſſibus venerabilis. Ibi verò, procul à mundi illecebris hominumque conſortio, alumni Religioſi, Iejuniis, ac Orationi intenti, vitam ducunt Angelicam potiùs, quàm humanam.

Eremus Camaldulenſium à Carolo Eman. I. fundata.

Quod ad Iurisdictionem attinet, in Spiritualibus Pecetenſes Incolæ parent Archiepiſcopo Taurinenſi; Temporale verò Dominium poſſidet Benedictus de Cize, de Greiſii, ac Monteimontis in Sabaudia Marchio, de cujus viri in rebus agendis prudentia, in Principem ſuum obſequio, ac in Rempublicam meritis plura dicenda forent. Hoc unum tamen non omittendum. Cùm anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto Catholicos inter Proteſtantesque Helvetios, ob orta in Religione, publicéque pactorum obſervatione diſſidia, ad arma ventum eſſet, ductisque jam hinc inde ad ſigna maximo numero Militaribus copiis, nil utraque pars, niſi ſanguinem Confinium ſuorum ſitiret, Dux Sabaudiæ Carolus Emanuel II. poſtquam in Catholicorum ſubſidium, prompto in Chriſtianam Rempublicam animo, atque ex vetere cum iisdem Catholicis Helve-

Iuriſdictio ſpiritualis & temporalis.

tiis fœdere, magnam equitum ac peditum vim transmittere paràſſet, rem ſimul negotiatione ſedare, ac Pacem inter eos componere tractatu amico tentavit: Quamvis alii Principes per Oratores ſuos hoc ipſum antea ſolerti induſtriâ, ſed parùm proſpero ſucceſſu tentàſſent. Ad tam arduum opus delectus Marchio de Greiſii, in eo ita prudenter, atque utiliter laboravit, ut, ſuperatis, quæ identidem oriebantur difficultatibus, conciliatis tandem animis, poſitâque cum armis irâ, concordiam inter eos firmam, inconcuſſamque ſanciverit, non ſine maxima Principis ſui commendatione, totiusque orbis terrarum plauſu. Quod æquus rerum æſtimator Alexander VII. Pontifex Maximus, binis miſſis ad eum diplomatibus, abundè teſtatum voluit.

Palatium Marchionis de Greiſii.

Vt ſuas ille ad Pecetum delicias magnificentiùs exornaret, medio Oppido Palatium, ſive Caſtrum, quod hic graphicè repræſentatum voluimus, ædificare aggreſſus eſt, Turribus, Porticibus, Fontibus, Viridariis, Topiariis, in quibus naturâ arteque convenientibus, nihil eſt, quod ad animos oblectandos deſideretur. Vnde factum eſt, ut, non modò cum Regia Dux ipſe ſupremus ſequela, verum etiam exteri Magnates, quique Sabaudicam Aulam frequentant Principum Oratores, Pontificii imprimis Nuncii, eo loco divertere ſæpè amaverint.

PECETTI

OPPIDVM ET CASTRVM

CASTELLIONVM.

Nomen. CAstellionùm, ab impositò crepidini montis Castello nomen accepit, Oppidum commodissimo locò situm, nempe inter feracissimos Montisferrati Colles: Taurino quinque milliaribus, totidem Cherio, totidem Clavasio disjunctum; opportunâ satè distantiâ, ad dividendas omnis generis fruges, quarum ob soli fertilitatem magnus ibi proventus, & optimam calcem, quæ, non sine magno incolarum emolumento, ex terræ visceribus eruitur, & construendis Taurini ædificiis mirum in modum conducit, attentâ maximè Padi vicinitate, quæ ad frequentanda commercia non exiguam sufficit commoditatem.

Situs.

Incolarum mores. Pro parvitate loci multos habet incolas, mercimoniis, & agriculturæ prorsùs addictos. Saluberrimâ fruitur cæli temperie. Mira sitûs est amœnitas, feracissimus omnium fructuum ager, vini præcipuè nigri & albi, cujus utriusque præstantia, celebrem huic Oppido famam præ reliquis comparavit. Ab utraque sui parte subjectam prospicit planitiem, nemoribus & sylvis abundantem, in quibus ad venationis delectationem volucres & feræ non desunt, & per quas commodus patet ad Oppidum adscensus.

Agri fertilitas.

Oppidi antiquitas. Spiritualem loci curam gerit Præpositus, cui Divinis in officiis sex alii Sacerdotes ad populi commoditatem indefessè suffragantur. A quibus, quove tempore conditum, ignoratur; tamen ex vetustissimis Oppidi ædibus, & Castelli ruderibus, quod recolendæ memoriæ Carolus Emanuel I. Dux Sabaudiæ multis ab hinc annis dirui jussit, conjici potest, Oppidum esse antiquissimum.

Montisferrati Marchionibus olim paruit, sub eorumque dominio usque ad annum 1630. perseveravit, quo, Clarascensibus in Comitiis pace inter Reges compositâ, Sabaudæ ditioni fœliciter addictum est, retentâ Comitatûs prærogativâ, quam Franciscus Castellioneus Oppidi Toparcha, ac primus Comes à Vincentio Mantuæ Duce suorum intuitu meritorum acceperat, Clarissimæ Familiæ nomen dedisse fertur, quæ de Castellione dicebatur, inclita viris egregiis, & antiquâ nobilitate conspicuis, quos recensere prolixum foret.

Montisferrati Marchionibus paruit.

Quando Sabaudæ ditioni addictum fit.


Eâ verò prosapiâ temporibus nostris exstinctâ, Castellioni dominium, cum subalterna Iurisdictione, & universum Corduæ territorium, annuente Sabaudiæ Duce, retentâ Comitatûs dignitate, cessit clarissimis viris Comitibus Ioanni Antonio Turineto, ejusque Fratri Georgio Ærarii Regii Præsidi primario, qui de suis Principibus optimè meriti, eisdem incorruptâ fide difficillimis temporibus exactissimè serviverunt, & de Subalpina regione, erectis intra & extra Taurinensem Vrbem magnificentissimis ædificiis, eidem Vrbi splendorem, suis nominibus famam, ac omnium civium, pauperum præcipuè, ob profusam in eos liberalitatem, sibi benevolentiam comparârunt.

Adepti Loci dominium, statim de Castello, ut jam diximus, in latiorem lætioremque formam restituendo cogitârunt. Quamobrem annuente Carolo Emanuele II. brevi temporis spatio, qualem hic ad vivum repræsentamus, surrexit moles, eâ structurâ, ut amicos alliciat, hostes arceat, & propulset, eodem planè loco, quo steterat Castellum vetus, impositâ amœnissimo nimirum colli à reliquis circumquaque adjacentibus separato, quibus, latissimè dominatur.

Castellum.

Idem porro hinc indè Castellum

voluptuariis, & coronariis hortis pulcherrimam in ſpeciem decoratur, fontibus abundat, ornatur myrtetis: non lauri deſunt, non pulvillorum margines, non palatæ arbuſculæ, non directi in quincuncem fructiferarum, & aliarum arborum curſus, non areæ, non Topiaria, nihil denique, quod ad explendos mirà jucunditate ſpectantium animos facere poſſe videatur. Pauca ſunt (ut paucis abſolvam) amœniora in toto Pedemonte privati Equitis Caſtella, ita ut Chriſtiana à Francia Sabaudiæ Duciſſa, ejusque Filius Carolus Emanuel II. ibidem non ſemel voluerint otiari.



CASTI LIONIS OPPIDVM

ERIDANVS FLV. IL PO

CIRIACVM.

SEptimo Taurinensi ab Vrbe lapide, Septentrionem versùs, non longè ab Alpium Graiarum radicibus, occurrit Ciriacum Oppidum, insigne Marchionatûs titulo, qui sub se S. Mauritium, Nolas, & Robasomerium minora Oppida comprehendit.

Nominis origo. Pedemontanis dicitur *Cirie*, fortasse à peculiari Incolarum erga Divum Cyriacum Martyrem cultu, cujus festum 8. Idus Augusti inibi summâ celebritate recolitur, convenientibus eo loci vicinis populis ad veneranda ejusdem Martyris sacra lypsana, quorum

Templa. pars intrà Oppidum, in S. Ioannis Baptistæ Ecclesia Parochiali, pars verò extra illud in Augustinensium, Congregationis Lombardiæ, publico, & privato Gasparis Provanæ loci Domini ære ad Annum 1488. fundato Cœnobio religiosissimè asservatur. Habet aliud, intrà idem Oppidum situm, Templum Parochiale sub titulo Divi Martini. In his populo, cu-

Incolarum numerus. jus numerus ad quingentas, eo ampliùs, domos, & ad animarum fermè duo millia ascendere perhibetur, spiritualia ministrantur. Superstant tria Laicorum pietatem excolentium in peculiaribus Oratoriis Sodalitia, S. Crucis unum, S. Sindonis aliud, tertium verò Spiritûs Sancti: nec deest in agro antiquissimus B. Mariæ de Spinarano Prioratus, ubi, ut fama est, florebat olim Virginum Deo dicatarum Parthenopæum, cujus adhuc hodie nonnulla visuntur rudera. Locus

Portæ tres. tribus distinguitur portis, quæ à totidem in proximo sitis Templis cognominantur: Prima, qua Taurinum itur, S. Ioannis; secunda, quæ Lancei Vallem respicit, S. Martini; tertia, unde ad S. Mauritii Oppidum patet accessus, Laureti, ab æde Virgini Lauretanæ dicata, vulgò indigitantur. Viam ejusdem loci præcipuam continuati hinc indè ambiunt fornices, sive porticus, subter quibus prostant frequen-

Porticus. tes longo ordine tabernæ & officinæ, ex quibus arguas incolarum veterem opulentiam, ex textrina præsertim, lanificio, aliisque honestis artibus olim provenientem, antequam bellicus furor, tempusque edax, quod nulli rei parcere novit, magnaque ex parte veteres loci muros, turresque labefactavit, cuncta pessundedissent. Inter cætera, solo æquata fuit antiqua, firmissimaque Arx sive Castrum, Nobilium de Provanis quondam diversorium, dum à Frederico Ænobarbo Imperatore, æquo parùm jure, in Marchionem Montferratensem Ciriaci, finitimorumque aliorum Oppidorum dominium translatum esset, posthabitis, qui diù justè possederant, Sabaudis Principibus, ad quos tamen postliminio rediit. Marchionatûs ti-

Marchionatus origo. tulum, quo nunc gaudet, impertivit Serenissimus Sabaudiæ Dux Emanuel Philibertus, ut eo decoraret Ioannem Hieronymum de Auria, à quo Oneliæ in Liguribus Principatum, partim emptionis, partim permutationis titulo obtinuerat. Eo gaudet etiamnum Ioannes Hieronymus de Auria Hieronymi prædicti Nepos, Ioannis Dominici de Auria Sabaudicarum triremium Generalis Præfecti Annunciatæ Equitis Torquati, Magnique penes Mauritium à Sabaudia Principem Scutiferi Filius, supremusque Locorum Testigi, & Cesii in iisdem Liguribus Dominus, qui cùm apud Principem suum Carolum Emanuelem II. Sabaudiæ Ducem potissimum gratiæ locum teneat, frequenter in

Ciriacense Palatium elegans. suo elegantissimo Ciriacensi Palatio eundem Ducem, nec non Ludovicam itidem à Sabaudia ipsius Ducis Sororem, prædictique Mauritii Principis Viduam excipere consuevit, in iis præsertim ædibus, quas ibidem ipsimet Principes Regiâ magnificentiâ

constructuxerunt, ornaveruntque, ut essent placidissimum defessi animi levamentum, si quando ab Aulæ curis libeat otiari, venationibusve, & genio indulgere inter loci delicias, quà arte, quà naturà amœnissimi. Agri facies, qui paulatim ab ima planitie elevatur, ferme tota rigatur aquis ex Sturia fluvio, aliisque fontium rivis deductis: unde fit, ut Cereris, Bacchi, & Pomonæ copiosissimus sit proventus: nec minùs feracia virorum illustrium ingenia, si quando Palladis se muneribus addixerint. Inter quos meritò celebrandi Ioannes Ferrerius, Vir in omni scientiarum genere eruditissimus, eaque de causa in Gesneriana Bibliotheca commemoratus: Petrus de Cariatoribus, nobilis, Patrum nostrorum ævo, Iurisconsultus, nominatissimusque causarum in Senatu Taurinensi Patronus, utì juris ab eo editæ allegationes abundè testantur: nec non Ioannes item de Cariatoribus Victoris Amedei Ducis primùm, dein Christianæ Francicæ Duciss Sabaudiæ à Secretis, qui maximi momenti negotiationes ad exitum cum laude perduxit. Nec verò iidem tractandis armis in Principis obsequium segnes; quales sunt ex hoc Oppido oriundi plures non spernendam professi nobilitatem: inter quos recensendi Cavallerii, Grossi, & Robasomerii, aliique ipsius Ciriaci olim ex parte Domini; Marchisii Domini Casellarum; Gribaldi; Ferrerii; Iacomelli; de Turre; Vittoni, aliique qui feuda in Pedemontano tractu conspicua possederunt, fueruntque, quando sese obtulit occasio, egregiè de Republica benemeriti.


Agri circumjacentis fertilitat.

Viri præclari inde oriundi.

CLA-

CIRIACUM vulgo CIRIÈ.

1. Templum Parochiale S. Ioannis Baptistæ
2. Templum Parochiale S. Marinæ.
3. Templum Parochiale S. Ioseph.
4. Templum S. Bernardi et Sodalitium Sanctissimi Sudarii.
5. Templum et Sodalitium Spiritus Sancti.
6. Templum et Conventus P.P. S. Augustini.
7. Templum B. Virginis Laurentanæ.
8. Sacellum S. Antonij Abbatis.
9. Sacellum S. Rochi.
10. Sacellum S. Sebastiani.
11. Palatium Nob. et Ambulacra D. Marchionis.
12. Cæteri ædium ruinæ.



CLAVASIVM.

NOn procul à Padi ripa, ubi Morgus fluvius (Italis *Orco*) eidem miscetur Pado, decimo circiter à Taurinorum Augusta lapide, jacet in æqua-

Situs. li planitie Clavasium Oppidum, Pedemontanorum linguâ *Chivasso*, murorum vetusti recentisque operis ambitu, propugnaculis, fossâ capacissimâ aquis plenâ egregiè munitum: quin etiam tormentis bellicis, militumque præsidio, bellorum præsertim tempore, instructissimum. Ea si-

Loci opportunitas. quidem ejus loci est opportunitas, ut qui Clavasium tenet, Taurinorum, Salassorum, Libicorum, Cispadanorum, Insubrum, seu dicere mavis tractûs Taurinensis, Canapixii; Vercellensis, Montisferrati, Lombardiæ clavem habere videatur, quâ sibi viam, quò magis libuerit, tutò aperire possit. Hinc est, quòd cùm Anno

Anno 1639. Princeps Thomas à Sabaudia illud occupavit. 1639. audità Præfecti absentiâ, Princeps Thomas à Sabaudia, cum duobus armatorum millibus, Vercellis repente egressus, sub auroram ex improviso fugatis custodibus, occupatisque portis, loco potitus esset, metuens Christiana Francica, Sabaudiæ Ducissa, contrà quam arma Princeps cognatus moverat, ne eo præsidio occupato in manifesto discrimine sui suorumque salus versaretur, Carolum Emanuelem Ducem Sabaudiæ Filium, ejusque tres Sorores, in Sabaudiam longiùs amandavit, ut in Chamberiensi Castro sub tuto essent, donec sese rerum facies immutaret. Quamobrem nihil antiquiùs habuerunt Valetanus Cardinalis, Longavilleusque

Galli postea recuperavunt. Dux, penès quos copiarum Gallicarum in Italia summa erat, quàm ut confertis in unum viribus Clavasiùm quantocius, uti feliciter evenit, recuperarent, nitentibus frustrà prædicto Thomâ à Sabaudia Principe, Marchioneque Leganesio Mediolanensis Ducatus Gubernatore, & Hispanicarum turmarum ductore solvere obsidionem. Tenuerunt verò Galli decennium circiter cum satis munita militum manu opportunissimum bello in Insubres inferendo oppidum, donec Anno 1649. sponte dimittente, quæ sui non erant juris, Rege Christianissimo, fuit Duci Allobrogum restitutum. In Spiritualibus locus paret Episcopo Eporediensi, cujus Diœcesis satis ampla eò usque extenditur. Præter primariam Ecclesiam Canonicorum Collegio insignem, insunt S. Marci, olim Cisterciensium Monasterium, nunc in Commendam, ut vocant, redactus Prioratus; alius S. Antonii pariter Commendatus; S. Bernardini Minorum de Observantia non inelegans Cœnobium, quod pridem extra muros situm, ut minùs bellicis incursionibus esset obvium, ab Anno 1520. intrà eosdem muros collocatum est. Floruit in eo, in hac Patria ex Carletorum familia natus, B. Angelus à Clavasio, vir non modò Philosophicis & Theologicis Scientiis excultissimus, verùm etiam pietate atque religione, quæ maximam illi viventi mortuoque Sanctimoniæ opinionem peperit, perquam celeber. Asservantur in hujus Cœnobii tabulario Sixti IV. atque Innocentii VIII. Pontificum Romanorum diplomata, per quæ Nuntius Pontificius, ac Sacræ Cruciatæ Commissarius, cum facultate in certis matrimoniorum impedimentis dispensandi constitutus, Confessarius insuper Caroli Tertii Ducis Sabaudiæ dictus est, additâ præterea plenitudine potestatis inquirendi contra Valdenses Hæreticos, qui tunc temporis, ad annum scilicet 1480. per Pedemontanas Regiones, finitimasque Valles falsa dogmata disseminabant. Reliquit verò eximius hic Sacrorum Canonum Interpres in ævum duratu-

Et Anno 1649. sponte Duci Allobrogum restituerunt.

Templa Oppidi.

B. Angelus à Clavasio.

Ejus Summa Caſuum Conſcientiæ.

ram, ac Confeſſariis utiliſſimam Caſuum conſcientiæ Summam, quam ab ejus nomine Angelicam vocant meritò, Venetiis primum Anno 1499. deinde ibi, atque alibi iterum, atque iterum typis cuſam, de cujus Auctore non immeritò, qui libro imprimendo dedit operam ita cecinit:

Humano Angelicas quicunque audire loquelas
Ore cupis: præſens perlege Lector opus.
Hic Sacros Canones, hic & Civilia jura,
Hic Sancta invenit Relligionis opes,
Maxima multorum, quod vix dabat ante librorum
Sarcina, id Angelica dat tibi Summa brevi.
Angelus eſt auctor, ſacri decus Ordinis ingens
Seraphici, & tanta Relligionis honos.
Auctorem, atque opus impreſſum felicia dona,
Clavaſina tuo terra beata viro.
Nec Carleta minus gens felix, unde creatus
Angelus, Angelicis dignus adeſſe Choris.

Poſtquam autem Angelus Ordinis ſui, Cismontanæ Familiæ Vicarium Generalem jam quartò egiſſet, meritis plenus, ac miraculorum famâ conſpicuus, ſolum Cælo commutavit propè Cuneum in Subalpinis in ſui Ordinis Monaſterio, ubi Sacrum ejus Corpus loco ſublimi, votivisque tabellis, facibus, lampadibusque nobilitato, etiamnum integrum pie colitur.

Habet prætereà idem Oppidum Minorum S. Franciſci Conventualium, Auguſtinenſium Congregationis Lombardiæ, Capuccinorumque Fratrum Aſceteria: nec deeſt Sanctimonialium Clariſſarum prædicto B. Angelo à Clavaſio vivente ac curante fundatum Parthenopæum, ubi ſpiritûs primordia hauſit B. Bartholomæa, itidem dicta à Clavaſio, Minoriticam D. Claræ Regulam inibi profeſſa, ac tumulata, cum inquilinorum pia ad ejus oſſa devotione. Prodierunt verò ex eadem Patria viri bello, paceque, domi, foriſque, in Eccleſiaſticis, ſæcularibusque dignitatibus præſtantiſſimi, quos longum eſſet recenſere: recenſuitque ex parte in Corona Sabaudiæ Regia Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia Præſul Salutienſis. Vnde fit, ut tanta ſint Oppidi hujus decora (deme aerem Mortalium ſaluti præ aquarum ſtagnantium vicinia aliquando officientem) ut Civitatibus non paucis valeat, non modò æquari, verùm etiam anteferri.

Virorum clarorum multitudo.

Aëris inſalubritas.

CAR-



CLAVASIVM
vulgo
CHIAVASSO

Strada di Torino

Strada di Torino

1. La Chiesta Collegiata di S. Maria
2. Il Castello
3. La Chiesta della Compagnia delli Angeli
4. La Chiesa e Convento di S. Francesco
5. La Chiesa e Convento di S. Maglio de R.R.P.P. Agostiniani
6. Chiesta e Convento di S. Bernardo de R.R.P.P. Zoccolanti
7. Il Monistero e Chiesta delle Monache di S. Clara

8. La Chiesta della Confolata di S. Marco
9. La Chiesa della Pietà Compagnia di Misericordia di S. Giò. Maria
10. La Chiesta della Concetta di S. Antonio
11. Il Battione della Monache
12. Il Battione del Molino
13. Il Battione Nuovo
14. Il Battione fatto di S. Bernardino
15. La Porta verso di S. Giovanni
16. La Porta verso del Castello

D. Fiume

ERIDANVS FLV.

CARMAGNOLIA.

VEterem Marchionatum Salutiensem ornat imprimis, commendatque, Civitatis à Principe insignita titulo, Carmagnolia, quam Lectori exactè delineatam repræsentamus.

Situs. Hæc à Taurinorum Augusta, Salutiis, Fossanoque Vrbibus, æquali fermè spatio, decem scilicet Italicis milliaribus distans, nomen à Caramaniæ oppido sibi contermino accepisse diminutivum creditur Caramaniolæ, parvæ scilicet Caramaniæ. Attamen eò paulatim in unum coalescentibus circumpositorum Oppidorum accolis, quos situs commoditas, distrahendarumque quaquaversum mercaturarum opportunitas alliciebat, filia matrem amplitudine superavit, accessoriumque suo longè præstitit principali; nam Civium numero, opum vi, ædificiorum elegantiâ brevi crevit. Hinc factum est, ut non solùm rebus Marchionum Salutiensium stantibus, gâvisa sit titulo Comitatûs, quo illi, quandiu viverent, honorare suæ Marchionalis familiæ primogenitum consueverant, verùm etiam (quæ est fatalis rerum humanarum vicissitudo) eâ labente stirpe, ac inter se Cæsarianis, Gallisque superiore sæculo in Pedemontano tractu acerrimè digladiantibus, Carmagnolia tamen, licèt sæpius obsidione tentata, steterit, suamque, bellorum inter strepitus, famam auxerit. Iidem namque Galli novo munitâ Civitate murorum ambitu, excavatisque extrinsecus novis fossis jugiter aquâ oppletis, nec non ad exactioris defensionis formam instauratâ, atque ampliatâ eâ, quæ olim fuerat excitata ibidem, Arce, potuerunt Cæsarianorum progressibus, qui Carinianum sex passuum millibus, non ampliùs inde dissitum tenebant cum armato præsidio, sese opponere, eorumque impetus remorari. Nunc verò, postquam adjecta fiére eidem, ad recentioris architecturæ præscriptum, firmissima propugnacula, soloque tenus diruta, civili, ante pauca, dum hæc scribimus, lustra, strepente bello, nonnulla Suburbia, eorundem Gallorum operâ, qui Carmagnoliam iterum occupârant, nimiam propè murorum septa viciniam causantium, nunc inquam, ea inter munitissimas totius Pedemontanæ Oræ stationes militum recensetur.

Nominis origo.

Augmentum.

Comitatûs titulus.

A Gallis fortificata.

addita etiam Arce.

Ex eorum, quæ memoravi, Suburbiorum ruinis, alia quatuor, prioribus magnitudine vix cedentia, quingentis tamen à Civitate sejuncta passibus, cœpêre à fundamentis ædificari: quorum domicilia quatuor distinctis fuêre Paroeciarum cœtibus assignata, non infrequentibus habitata incolis, qui, computatis iis, qui intra muros degunt, sex mille quingentas animas excedere perhibentur.

Suburbia quatuor non passibus ab urbe remota.

Templum peramplæ structuræ Parochiale, situm ad partem Civitatis Occidentalem, ornatur venerando tredecim Canonicorum Collegio, inter quos tres eminent dignitate. Eos, rogante Ludovico secundo Marchione, Anno M CCCC LXXIV. Sixtus Quartus Romanus Pontifex introduxit, assignatis eisdem, inter cætera, minorum aliquot Ecclesiarum, quæ in Carmagnoliensi territorio visuntur, redditibus. Habet verò ea Basilica potiorem corporis D. Plinii Martyris partem, quam secum ex Sardinia Insula delatam eisdem Canonicis dono dedit P. F. Joannes à Monte rotundo, Minister Capuccinorum Generalis. Insunt præterea ad latus Australe Ascetæ Augustinenses, in eleganti, sitâ ad Fori principalis extremum, Ecclesiâ divinis operam dantes; adsunt etiam præter paratum pauperibus excipiendis Xenodochium, nonnullæ, operibus piis addictæ, Laicorum Societates.

Templum Parochiale Collegii Canonicorum.

D. Plinii Martyris ipsiana.

Augustinensium Cœnobium.

Extra Muros Capuccinorum, aſt Minoritarum dirutum.

Extra Civitatem degunt, præter Capuccinos recenter admiſſos, Minoritæ, quos dicunt de Obſervantia. Horum Cœnobium (unà cum veteribus Suburbiis ſolo dejectum) ab Anno uſque MCCCCXCIII. fundatum ſub titulo Deiparæ Annunciatæ, Eccleſiam habebat, ut in Monumentis Seraphicis Provinciæ D. Thomæ ſcribit Paulus Britius, viginti elegantiſſima ſacella ſub uno tantum fornice continentem: tantæque erat latitudinis, & eminentiæ, ut vix parem liceret in tota Italia invenire. Monaſterium porrò tantæ fuiſſe narrat capacitatis, ut pluſquam octoginta Fratribus non incommodam habitationem præbere poſſet. Dormitorio, geminiſque eidem annexis Clauſtris, nullum altius, longius, clarius, elegantiuſve ullibi ſe vidiſſe teſtatur: totum denique ſacri ſepti ambitum, muro undequaque circumdatum, pratiſque, hortis, viridariis, ac vinetis cumulatiſſimè conſitum, non Cœnobii, ſed Oppidi ſpeciem præ ſe tuliſſe. Tantum opus cùm Martis ratio, ut diximus, ſolo æquaſſet, aliud, uno circiter à Civitate milliario, propè ſacram B. Virginis dictæ de Salſazio, miraculorum famâ celebrem ædiculam, minoris tamen amplitudinis, Cœnobium fuit noſtro ævo ædificatum.

Cujus loco aliud miraculis clarum ædificatum.

Abbatia S. Mariæ de Caranova,

His omnibus procul dubio tamen præſtat celeberrima, S. Mariæ de Caranova appellata, Abbatia, in eiſdem Carmagnoliæ finibus à Salutienſibus Marchionibus, accedente Romagnani Marchionum, Lauretique Comitum piâ munificentiâ, circa Annum Chriſti MCXXX. ædificata, redditibuſque peramplis locupletata. Hanc à primæva uſque fundatione incoluêre Monachi Ciſtercienſem regulam, quam à Monaſterio Staphardenſi hauſerant, profitentes, ſubditi impræſentiarum Abbati, quem titularem, ſive Clauſtralem vocant; nam, præter eum, alius Abbatiali adminiſtrationi in Commendam redactæ præeſt, qualis inter cæteros fuit Princeps Mauritius à Sabaudia, olim S. R. E. Cardinalis, ejuſque ex Thoma Fratre Nepos Mauritius Eugenius itidem à Sabaudia. Hæc in univerſum de rebus Carmagnolienſium ſacris, quibus ſpirituale jus dicit Præſul Salutienſis, cujus Diœceſis ii conſtituunt portionem. Quod ad Civile regimen ſpectat, ea Civitas Provinciam ſibi veluti Capiti ſubditam habet peculiarem, pluribus conſtantem Oppidis, atque pagis: Præfectuſque inibi, præter ordinarium Iudicem, à Principe conſtitutus cauſas in ſecunda inſtantia judicat.

Mercatus celebris.

Percelebre eſt id, quod unaquâque hebdomadâ proſtat Carmagnoliæ mercimonium, ad quod convenire ſolent, non Pedemontani modò tractûs, verùm etiam Delphinatûs, Oræ Nicænæ, atque Liguſticæ mercatores, vitæ neceſſaria empturi, venditurive. Ejus verò frequentiæ valde confert ſoli eduliorum genus omne, linum, cannabum, ſericum proferentis ubertas, Civitatiſque, ut initio diximus, in ipſo ferme Pedemontii centro ſitæ poſitio, unde huc, illucque facilè commeatur.

Viri illuſtres inde oriundi.

Cæterum ex hac Patria prodiêre viri ſagо, togàque illuſtres admodùm. Inter eos, qui Martis gloriâ claruerant, primum meretur locum percelebris ille copiarum ductor Franciſcus Buſſonus, vulgò Carmagnola ab Hiſtoricis appellatus, qui emenſis cunctis militiæ gradibus, Mediolanenſium primò ſub Philippo Maria Vicecomite, tum Venetorum exercitûs ſummus Imperator, cùm proditionis in Rempublicam delatus, carcerique mancipatus eſſet, ſive jure, utì ſcribunt Flavius Blondus, ac Petrus Iuſtinianus, ſive injuriâ, utì referunt Iovius, ac Spondanus, Venetiis inter duas columnas capite plexus eſt; hanc ei cunctis, abſque invidia, ſcriptoribus laudem dantibus, quòd numquam cum hoſte congreſſus fuerit (congreſſus eſt autem ſæpe) quin illum victor perpetuò ſuperaverit, virtutique habuerit ſemper fortunam comitem. Excolendis porrò litteris tam multi cum laude dederunt operam, ut iis re-

Franciſcus Buſſonus vulgò Carmagnola.

Monachorum Ciſtercienſium.

cen-

censendis narratio magis prolixa videatur desiderari. Sola Buciorum familia protulit Dominicum, Augustinum, Dominicum Philibertum, Avum, Patrem, Filium Bucios, quorum prior, Philosophus apprimè doctus, ad rem medicam, quam profitebatur, spectantia plura scripsit; Secundus, primarius Philosophicæ facultatis Lector in Taurinensi Academia, atque pro Carolo Emanuele Primo Sabaudorum Duce ad plures Principes functus legatione, multa reliquit, eaque excultissima sui ingenii monumenta; Tertius, in eadem Academia, ac facultate Lectorem agens, Orator prætereà, Historicusque, fuit ab eodem Carolo Emanuele Duce, Filio suo Philippo Emanueli Pedemontium Principi ad munus Secretarii destinatus. Protulit insuper Philippum Bucium juris laureà, Mauritianàque Cruce insignem, qui metricè nonnulla, atque Gabrielem itidem Bucium Augustinensium Eremitarum Vicarium Generalem, qui concionatoriè, & oratoriè plura in manus hominum dedit. Omitto aliarum familiarum alumnos, Franciscum Gallinam, Iacobum Novaresium, Petrum Iacobum Zovellum illustres Medicos, ac Philosophos; Franciscum Piscinam, & Io. Antonium Massuerum Legum peritos, Georgium Rizzacasam, Mathematicum atque Astrologum; Nicolaum Basterium Philosophum, & Theologum, qui multos annos cum eximiæ doctrinæ fama docuit in Cathedra Ticinensi, & Franciscum Mariam Ferragatam Theologum, celeberrimumque Concionatorem, ambos Augustiniani Ordinis Sectatores; Gulielmum Baldessanum denique Canonicum Taurinensem, Sacrumque Historicum, quorum omnium facta, dicta, scriptaque numquam intermoriturum præstabunt huic Patriæ ornamentum.

Bucii tres pater. filius & nepos:

itidem Philippus.

& Gabriel:

aliique nonnulli.

CARMAGNOLIA

Notarum Explicatio.

A. Castrum.

B. Ecclesia Collegiata.

C. Est et Castr. P. Augustini.

D. Castrum S. Bernardini.

E. Cast. S. Joannis Augustini.

F. Castrum S. Roch.

G. Carcerum Monachum Ordinis

S. Dominici.


H. Xenodochium

Porta Monete

Porta S. Joannis

Porta Lucchetta

CARMAGNOLIÆ VSQ. VICORUM NOVA ET EXACTISSIMA DESCRIPT



CARINIANVM.

Situs. NOn procul à Rege fluviorum Eridano, septimo à Taurinorum Augusta ad Austrum lapide, occurrit Carinianum, veteribus tabulis Cargnanum, Italis *Carignano*. Oppidum in paucis amplum, dives, nobile, populosum; muris olim undique, ac fossâ cinctum, nunc bellorum injuriâ cunctis ferme nudatum munitionibus. Iis, qui Carinum Cæsarem, Cari Filium, Numeriani Fratrem, Principem vitiis omnibus contaminatissimum, qui ad Annum CC LXXXIV. non amplius biennio in Occidentalibus Provinciis imperavit, Oppidi conditorem, nominisque inditorem prædicant, libenter assentiremur, si id aliquo veterum testimonio fulciretur.

Nomen.

Agri fertilitas. Ager Monti-calerio, Pancalerio, Raconixio, Carmagnoliæque confinis, inter Pedemontanæ regionis feraciss imos numeratur, abundatque in tantum frumento, vino, frugibus, oleribus, leguminibus, altilibus, carnibusque, ut alendis integris per sæpè sufficerit exercitibus. Habet etiam lini, cannabis, sericique ingentem vim; nec deest copiosa piscatio in finitimi Padi aquis, quarum etiam beneficio, nativæ soli merces alio percommodè exportari queunt, atque exteræ importari. Super hæc, salubre cælum, arva amœna, viridantia prata, crebri fontes, atque irrigui aquæductus reddunt hujusmodi summopere expetibilem incolatum.

& amœnitas.

Incolarum numerus & opulentia. Oppidanorum numerus, computatis iis, qui in agris degunt, sex animarum millia excedit: ii verò, ob quotidianum illac ultro citroque commeantium transitum, divites ut plurimùm, atque pecuniosi, ædificia habitant structuræ admodùm elegantis, & commodæ; ea præcipuè, quæ medio Oppido publicum forum ambiunt, porticibus hinc inde ornatum, & officinis; illa multò magis, quæ in Palatiorum extructa formam, marmoribus, picturisque, atque doctè dispositis viridariis exornata, à Nobilibus plerisque inhabitantur. Hos inter, gens de Provanis, Romagnanisque primarium, à priscis usque temporibus, hic domicilium habuit, & dominium. Post hos, eundem locum habitavêre nobiles Toparchæ de Montafia, Grimaldi Genua oriundi, Grossi Brusolii Domini, Valesii ab Augusta Prætoria huc translati, aliique, intemeratam professi nobilitatem, à quibus nonnulla, quæ per territorium sparsa, eminent Castella, turritaque ædificia possidentur.

Ædificiorum pulchritudo.

Castrum Carinianense. Ædificiis hisce omnibus præstat illud, quod, ad Orientalem Oppidi partem situm, Sabaudi Principes suâ non semel præsentiâ sunt dignati. Philibertus namque, cognomento Pulcher, Dux Sabaudiæ, non modò in Carinianensi Castro ætatis suæ bonam exegit partem, verùm etiam publicum ibidem Anno M D IV. hastiludium celebravit, convocatis eò Principibus viris, adstanteque præcipuâ ditionis suæ, tam ultra quàm citra montes degente Nobilitate. Idem Castrum extremis vitæ suæ annis incoluit Blanca Monferratensis, Caroli Primi, Sabaudorum itidem Ducis Vxor, incolitque post Manes adhuc: nam ibi Anno M D IX. ejusdem Ducissæ ab humanis exemptæ Corpus, in Augustinensium Templo eleganti loculo marmoreo est humatum.

bellicis temporibus illæsum mansit. Pepercit Carinianensi, de quo loquimur, Castro rabies militaris, cùm, adortis aperto Marte Oram Subalpinam Gallis, cùm ab his, tum ab Austriacis omnia pessum irent. Ac primùm quidem Lælius Bonfilius Neapolitanus, à Cæsare ad Gallos transfuga, eò loci profectus nocte intempestâ Anno M D XXXVI. cum electo Militum agmine Præsidii Gallici Taurinensis, murosque scalis adhibitis supergressus, Oppidanos nihil minùs

cogitantes, somnoque sepultos spoliavit, trucidavit, redegitque nonnulla eorum in cinerem ædificia, illæso tamen à manu hostili remanente eo, quod dixi, Castro; non modò tunc, verùm etiam paulò post, cùm Italicis copiis, quæ sub Mirandulano Comite in Galliam, atque in Gallorum obsequium properabant, illac transeuntibus, Cæsariani, qui Castrum custodiebant, sese dedere sunt coacti. Cùm verò iterum in potestatem Caroli Sabaudiæ Ducis eorum legitimi Principis Carinianenses devenissent, longà Anno MDXLIV. Oppidum à Gallis obsidione arctatum est, quousque inter eos, atque Cæsarianos obsessis opem ferre nitentes, cum maxima sanguinis effusione ad Ceresolas est decertatum, victoriâ penès Gallos stante, qui mox Cariniano potiti, muros Oppidi omnes diruerunt solo tenus; nec præter Castrum, cui, nescio quo fato, pepercerunt, munitio ulla fuit, quæ non ad solum prosterneretur.

Verùm Templa damnum passa.

Flagrantibus iteratis hujusmodi bellorum incendiis, locis etiam Deo sacris militaris insolentia non modica intulit detrimenta: in Turrim namque horariam sustinendo æri campano S. Ioannis Basilicæ destinatam cùm imbelles plerique viri, mulieresque se recepissent, injectus illi ab hoste ignis plures incendio absumpsit, Turrimque ipsam magna ex parte labefactavit. Neque à violando tunc temperatum Augustinensium Templo Cœnobioque, ubi direpta supellex sacra, confractumque Blancæ Monferratensis, cujus supra memini, marmoreum monumentum, quod nostro ævo, minùs tamen eleganti structurâ, refectum fuit.

In Clarissarum Sanctimonialium Parthenopæo, quod pia beneficentia Familiæ de Provanis ab Anno usque MCCCXX. extra mœnia condiderat, & quas Anno MCCCLXIII. Iacobus Sabaudus Achaiæ Princeps intrà Oppidi ambitum, ac in Leonelli de Provanis Palatio collocârat, minùs irreligiosè peccatum: perstant enim adhuc in earum Templo venerandæ antiquitatis aliquot monumenta, marmorea imprimis Iacobi de Provanis, Castri Rainerii Domini statua cum militari habitu, caprinæque frontis exuviis suprà cassidem tecto capite: talibus enim, similibusque ferinorum vultuum additamentis equestrem militiam professi sese per ea tempora terribiliores hostibus effingebant. *Iacobi de Provanis statua.*

Post infelicia tandem ejus sæculi nubila cùm pacis serenitas affulsisset, Capuccinorum unum, atque alterum Monialium septa de novo ædificata, vetus damnum compensavêre. *Templa reædificata.*

Præter hæc Numini colendo dicata loca, insunt eidem Oppido veteres duæ Præposituræ, S. Ioannis Baptistæ una, cujus Ecclesia gaudet Iure Parochiali, S. Martini altera, Ruvereæ Vicinovi Dynastarum familiæ Patronatûs, ambæ Ecclesiasticis proventibus opulentæ. Insunt etiam antiquæ duæ Hospitales Domus, quarum unam sub titulo S. Remigii Nobiles de Provanis, alteram, sub Invocatione S. Mariæ, Marchiones de Romagnano, in egenorum subsidium, vel fundavêre, vel fundatam largitionibus novis cumulavêre. Nec desunt Sodalitia Laicorum, aliaque loca exercendis pietatis operibus destinata. *& antiqua.*

Spiritualis in Carinianenses Incolas dictio juris, excessione ad Annum MCXLII. Vmberti Antistitis Taurinensis, est penès S. Michaelis Clusini Abbatem: temporale verò dominium cùm à Provana gente, & Marchionibus Romagnani, quorum jam plus quàm semel memini, circa Annum Christi MCCL. Thomas, ejus nominis Secundus, Maurianensium Comes, atque Marchio Secusinus emptione acquisivisset, ab eo in Regiam Sabaudæ stirpis Domum transiit jure successionis. Eapropter immediatâ nunc prænobilis hujusce Oppidi Toparchiâ gaudet Serenissimus Princeps Emanuel Philibertus à Sabaudia, invictissimi illius Herois Thomæ Francisci Sabaudi Principis Filius, qui à Patre suo Carolo Emanuele Primo, in appannagiorum (ut barbarico verbo utar) distributione, hoc aliaque insignia Pedemontani tractûs Oppida, cum annexo eidem Principatûs titulo, obtinuerat. *Iurisdictio spiritualis.* *temporalis.*

RAC-



CARINIANVM vulgo CARIGNAN

SER. PR. EMANVELIS PHILIBERTI A SABAVDIA OPPIDVM, & PRINCIPATVS CAPVT.

ERIDANVS FL.

Prioratûs titulo insignitur :* Altera, Sanctæ Mariæ nomini sacra, Forensis Vicarii est sedes. Augent Religionis dignitatem Regularium Cœnobia Quatuor in Typo expressa, quintumque Sacrarum Virginum, quæ Beatæ Catharinæ Raconisiæ vestigia legentes, Sanctæ Catharinæ Senensis institutum profitentur. Tria quoque Secularium numerosa Sodalitia (quas Confraternitates vocant) Populi pietatem maximè fovent, duoque præterea pia opera, nempe Hospitale ad Peregrinos excipiendos, & Confratria ad sublevandam Pauperum inopiam exemplo, & actis maximè prosunt. Multa denique Ecclesiastica Beneficia totus Ager subministrat: Hierosolymitanam præcipue Commendam, & insignem Abbatiam, cujus proventus à Pontificia Sede in plura Beneficia, tum Clericalia, tum militaria dissecti sunt.

Cœnobia.

Sodalitia.

Hospitale.

Confratria ad sublevandas paupertes.

Hierosolymitana Commenda & insignis Abbatia.

Oppidanorum ingenia, socordiam perosa, ubi literis imbuantur, mirè proficiunt, altaque honorum consequuntur: sed Militiæ præsertim dedita sunt, ad quam habitu corporum, animorumque ferociâ, atque indole à natura formantur. Reliqui Mercaturæ, atque Artibus vacant, quarum propria, & præcipua, est industria in bombycinis filamentis. Nec viri modò, sed Fœminæ ferè omnes; quæ cæteras Subalpinas, ut proverbio decantatur, venustatis laude antecellunt; infulis carbasisve holosericis contexendis occupantur, suppeditante agro Arbores ad nutrienda Bombycum examina exquisitas. Itaque, præter ingentem sericorum staminum copiam, ad Subalpinorum usum peropportunam, innumera onera bombycini velleris in Galliam, & Liguriam exportantur, unde plurimum argenti importatur. Tanta denique Cæli suavitas, ac soli fertilitas est, tanta segetum, tanta vitium, tanta denique armentalium pabulorum bonitas, & ubertas, ut cùm suis non modò sufficiat, sed exteris exuberet tellus: mirum non sit, si Oppidanorum pauci suum extrà Oppidum peregrinentur.

Oppidanorum ingenia.

Cæli suavitas & soli fertilitas.

SA-

RACONISIUM
SER.^MUS EMANUELIS PHILIBERTI
A SABAUDIA
CARINIANI PRINCIPIS
OPPIDUM.

1. Cyclorum Horti Nemus et ambulacra Ser.^mi Principis
2. Palatium, et Monasterium Virginum
3. Coenobium et Templum Servorum Sanctae Mariae
4. Coenobium et Templum Carmelitarum
5. Coenobium et Templum Dominicanorum
6. Coenobium et Templum Capuccinorum
7. Parœcia, et Praepositura Sancti Joannis Baptistae
8. Parœcia, et Ecclesia Sanctae Mariae
9. Templum Confraternitatis Sanctae Crucis
10. Templum Confraternitatis Nominis Jesu
11. Templum Confraternitatis Majoris Dei
12. Templum S. Rochi
13. Sacellum Sanctae Brigidae
14. Sacellum Marmoreum Sancti Joannis ex foro

Amstelodami Exc. Joannes Blaeu

SAVILIANVM.

Civitat.

SAvilianum, de cujus ethymo nil certi habemus, quod asseramus, Civitatis, à Principe suo donatum titulo, ejus est situs, amplitudinis, venustatis; ea præstat soli ubertate, opum cumulo, mœnium firmitate, populi numero, nobilitatis splendore, Civium cultu, ut licet Cathedræ honoris expers, subsit in spiritualibus Archiepiscopo Taurinensi, pluribus tamen Cathedralibus possit absque dubio anteferri. Sedet ea Civitas in æquali undequaque planitie, in Pedemontii totius centro, & umbilico, sex, septemve non ampliùs passuum millibus dissita ab Alpium radicibus Cottiarum, loco Macræ, ac Meleæ adblandientibus fluviis interjecto, atque ita sive cælum seu solum spectes, ad habitationem mortalium opportuno, ut Carolus Quintus Imperator, tot Regnorum peragrator, ac domitor, reique bellicæ scientissimus cùm Iulio mense Anni M D XXXVI. in Nobilium de Muratoribus ædibus exceptus, illac transisset, nullibi se situm alendo exercitui magis accommodum vidisse testatus sit. Ejusdem verò Imperatoris fidus assecla, virtutumque imitator Allobrogum Dux Emanuel Philibertus, dum post sanctam inter Hispanos, & Gallos pacem, ex Belgio redux, recuperatæ avitæ Ditionis Imperium resumpsisset, parum abfuit, quin eam, quam posteà Augustæ Taurinorum collocavit, loci opportunitate allectus, Saviliani sibi, suisque Successoribus Sedem Regiam figeret.

Situs.

Laudatus à Carolo V. Imper.

& ab Emanuele Philiberto Duce Allobrogum.

Fundatio & conditores incerti.

De ejus primæva fundatione, ac conditoribus parùm constat, nec quæ de Saliis afferuntur, deque ab ipsis accepto nomine, certo aliquo testimonio veterum niti credimus. Ampliatio, certiore conjecturâ, ad Annum

Ampliatio Anno 1100. facta.

M CC. referri solet, quo tempore in unum convenientibus populis, ut se, vel ab hostium insultibus, vel à Tyrannunculorum, qui eos variè divexabant, oppressionibus tuerentur, illuc loci concurrisse fama est complures ex iis, qui Marenas, Cerverias, Solerias, Fontanetum, Ricrosium, Sterpum, Montemfalconem, Levaldisium, Genoliam, aliaque Castella finitima incolebant. Domicilium eodem tempore ibidem fixêre familiæ nonnullæ præstantes Nobilitate, cinctumque muris Oppidum ita providè munierunt, ut in suas partes adductis Monteregalensibus, Cuneensibusque, pacem Anno M CC XXXIV. æquis conditionibus firmârint cum Salutiarum, Buscæ, ac Cevæ Marchionibus, cum Astensi, qui tunc latè dominabatur Episcopo, cum Manzani, Sarmatoriique Dominis, aliisque in viçinia Toparchis, qui à Subditis suis proprios eo loci transferri lares ægrè ferentes, quotidianisque Savilianensium accessionibus invidentes, eos armis lacessiverant, atque agri confinia devastârant.

Ante ea tempora Oppidum valde nobilitârat percelebris Monasterii Ordinis Benedictini ab Abelonio quodam, ejusque Vxore Amaltruda, quamplurium circumquaque Oppidorum Dominis, Anno M XXVIII. facta fundatio, cum assignatione redituum valde opulentorum. Hujus ædes Abbatiæ, quæ gaudet jure in Civitatis, ejusque agri partem Parochiali, & cujus claustralis Abbas baculo utitur, atque mitrâ, paucis cedunt magnificentiâ. Ejus verò Basilica D. Petro Apostolorum Principi sacra, perampla est, atque admodum ornata, eique Sanctorum Martyrum Iusti, Benedicti, atque Thadeæ Corpora nostro ævo translata ab Vrbe Româ, aliaque jam olim ibidem servata Lipsana, veherationem addunt, & ornamentum. Ordine sequitur Com-

Monasterium Ordin. Benedictini antiquissimum.

Privatus Divi Andreæ Apostoli.

mendatus sub titulo D. Andreæ Apostoli Prioratus, item Parochialis, olim Canonicorum Regularium Collegium, S. Petro de Manzano primum, deinde S. Andreæ Vercellensis subditum Abbatiæ. Parochialis præterea B. Mariæ dictæ de Plebe Ecclesia, sumptibus Anselmi Bausani è Montisfalconi Dominis ad Annum M C LXXXIV. ædificata, ad quam magnus quotannis, die octavâ Septembris, Nascenti Deiparæ Sacrâ, est populorum pietatis ergò concursus, ob famam patratorum, eâdem Deiparâ apud Deum intercedente, in hominum salutem prodigiorum. Lapidea verò servatur ibi Christi effigies Crucifixi, ex qua rustica manus, impiâ percussione, affluentis æquè cruoris, ac gratiarum venam fertur elicuisse.

Ecclesia B. Mariæ de Plebe.

Lapidea Christi Crucifixi effigies miraculosa.

Cœnobium Dominicanorum.

Inter Religiosorum Cœnobia Mendicantium, primum locum vendicant sibi Dominicani Anno M CC LXVII. Caroli I. Andegavensis Provinciæ Comitis, Siculorumque Regis, Savilianum tunc possidentis, auspiciis introducti. In eorum Ecclesia piè colitur una ex Coronæ Dominicæ Spinis, habenturque in veneratione Corpora Beatorum Antonii Pavoni, ac Bartholomæi à Cerveriis ejusdem Ordinis Sacerdotum, qui constanter exercentes commissum sibi generalis in Lombardia, & Liguria contrà hæreticam pravitatem Inquisitionis munus, martyrium ab hæreticis subierunt: ille quidem Anno M CCC XXXIV. hic verò M CCCC LXVI. Quiescit etiam ibi B. Aimo de Tapparellis ex Lagnasci Dominis, qui eundem Ordinem vitæ Sanctimoniâ illustravit.

Cœnobium Franciscanorum de Observantia.

Succedunt deinde Franciscani de Observantia nuncupati, quorum domicilium olim extrà mœnia in Suburbiis situm, atque à bellico furore dirutum solo tenus, nunc intra eadem mœnia ampliori, firmiorique structurâ ædificatur. Idem infortunium contigit

Fratrum Augustinensium. Sororum Sanctimon. Sti. Francisci.

Fratribus Augustinensibus, atque Sororibus Sanctimonialibus sub Divorum Augustini, & Francisci instituto vitæ claustrali addictis; hæ enim olim extra Civitatem ruinam passæ, tutiorem nunc sibi in eadem posuêre Sedem. Non longè verò à Civitate habent elegans Cœnobium Capuccini: quingentisque ab eadem passibus visitur recens ædificatum, sub B. Mariæ Gratiarum invocatione, Templum, ad quod, sub spe beneficiorum animabus, corporibusque impetrandorum, confluunt ejus tractûs populi frequentissimi. Insunt etiam in Civitate, præter tertium aliud Sacrarum Virginum Monasterium, quatuor Laicorum, pietatis operibus ex instituto incumbentium, Sodalitia, peramplumque pro pauperibus alendis Nosocomium, cujus constructioni, dotationique sumptus peramplos suppeditavit Gabriel Caffurrus ex Cerveriarum Dominis, Regis Christianissimi Medicus, vir non minùs pius ac liberalis, quàm dives; nec deest Orphanotrophium, puellis parentum curâ destitutis asylum.

Cœnobium Capuccinorum extra Civitatem.

Sac. Virginum Monasteria.

Laicorum fodalitia.

Nosocomium.

Orphanotrophium.

Cæterum ipsa Civitas, sublimibus ubique conspicua ædificiis, sese, in plano licet ædificata, spectandam eminus præbet. Muros lunatâ extrinsecus operâ, atque oppletæ jugiter aquis fossæ ab hostilibus aggressionibus circumsepiunt. Ad tres, per quas in Civitatem eandem patet ingressus, portas excubat Statio militaris. Indè per satis amplas, atque hinc inde officinis, & porticibus septas vias in forum interiùs devenitur. Hinc horaria Turris, olim Civibus decus, exteris admiratio, quam invidus nostro ævo ignis labefactavit. Indè triumphalis Arcus, statuis, columnis, picturis, ad exactæ Architecturæ leges omninò conspiciendus. Hunc Anno M D C XX. ut Victorem Amedeum Pedemontanorum Principem, ac Christianam Francicam, nexu maritali recenter junctos, festiviùs, solemniorique pompâ exciperent, erexerunt, additâ, in media Arcûs ejusdem fronte Caroli Emanuelis I. Sabaudiæ Ducis præclarè gestorum indice, sequenti Inscriptione, præter alias, quas ibidem legere datur, in gratiam Regiorum Sponsorum adventûs appositas:

Civitatis descriptio.

Turris horaria.

Triumphalis Arcus.

Inscriptio. CAROLO EM. ACERRIMO LIBERTATIS VINDICI, VICTORII AMED. FILII, AC CHRISTIANÆ FRANCICÆ CONNVBIO SVORVM TANDEM SECVRITATEM ASSERENTI, EXIMIÆ FIDELITATIS, ET OBSERVANTIÆ ARGVMENTVM, CIVITAS SAVILIANI.

Carolus Emanuel hic obiit & sepultus est.

Quoniam autem de Carolo Emanuele Duce fieri contingit mentionem, non omittendum, nobilitâsse illum hanc Civitatem sæpius, dum viveret, præsentiâ suâ, & nobilitare adhuc, extinctum, tumulo. Nam cùm Anno M DC XXX. Savilianum ingressus esset, ut illud adversùs hostes, à quibus timendum erat, firmaret novis munitionibus, eo pestifero ibidem morbo correptus, qui tunc in subalpina Provincia grassabatur, fato supremo sublatus est, ibidemque tumulatus. Aliæ per Civitatem plateæ, turres, palatia, Nobilium Taffinorum præsertim, omnino spectanda. Templa itidem per vicos assurgentia, & Apelleo sui Antonii Molinerii penicillo illustrata, decus & magnificentiam spirant. Ibi passim Avorum nomina, insignia, præconia, gesta, vel priscis characteribus obsignata, vel marmore insculpta, æternitatem impertiunt vel defunctis. Hæc inter, sese ante Dominicanorum Basilicæ fores offert marmoreus Petri de Beyamis Nobilis Savilianensis, ac S. Sepulchri Equitis tumulus, cum, versibus hexametris, conceptâ Inscriptione, ex qua docemur illum Anno M CCCC XXXVI. die XXIV. Iunii extinctum, Imperatori Sigismundo, Regibus Castellæ, atque Aragonum, Ducibus Sabaudo, ac Mediolanensi, Achaiæ denique Principi admodùm fuisse acceptum, iisdemque Principibus in magni momenti rebus utiliter inserviisse. Intrà Templum verò legere est positum Aymoni Cravettæ, Iurisconsultos inter sui temporis celeberrimo, Epitaphium, quod in tanti Viri, ejusque Patriæ commendationem referibere ex parte non pigebit hujusmodi:

Petri de Beyamis tumulus marmoreus.

Aymonis Cravettæ Epitaphium.

Aymoni Cravetta &c. qui primùm Taurini jura interpretatus tum Ferrariæ, ubi: & Senator, hinc Avenioni, mox Gratianopoli, inde Ticini, tandem ad Montemregalem, Taurinos denique feliciter reversus cum M CC. Cor. aureorum honorario, & Patavium longè ampliore accersitus, Cisalpinas Transalpinasque gentes in sui summam admirationem excitavit, &c. Vixit Annos LXV. integros ipse integerrimus, obiit MD LXIX. VI. *Id. Octobris. Franca Purpurata Vxor. Io. Franciscus I. C. Alexius, & Io. Baptista Cravetta Filii mœstiss. pos.*

Viri doctrinâ Illustres.

Præter hunc, habuit alumnos Patria Savilianensis non paucos alios, qui in Civilis Iuris Scientia excellentes, ad dignitates maximas evaserunt. Hos inter numeramus Io. Franciscum Cravettam, memorati Aimonis filium, atque imitatorem, Sebastianum de Soleriis, Iafredum Paxerium, Iulium Cambianum, Io. Iacobum Truchium (virum scientissimum simul, atque eloquentissimum, ante nonnullos annos fato functum, qui ardua admodùm maximi momenti negotia in obsequium sui Principis ad finem cum sui laude perduxit, dignissimasque ad Ligures, Gallorum Regem, Pontificemque Summum obivit legationes), Præsides Taurinensis Senatûs, sive Regiæ Cameræ meritissimos. Eâdem Iuris scientiâ excelluerunt Manfredus, & Iacobinus de Gorena: ille quidem pro Ioanna Siculorum Regina primùm Iudex major, tum Rector Gubernatorque Civitatum, atque Locorum, quæ illa in Pedemontio possidebat; hic verò ad Annum M CCC LXXVII. Iudex in eadem Provincia generalis; Bernar-

SANCTI IACOBI

PASSIO RIVULUS

MACKRA FL.



EPOREDIA.

Situs.

EPoredia, Italicè *Ivrea*, ad Penninarum ingressum Alpium sita est, suprà lævam Duriæ Balteæ, quà ex Salassis superioribus in inferiores labitur, ripam. Romani, oraculis Sibyllinis admoniti, Mario VI. Valerioque Flacco Coss. teste Vellejo Paterculo, statuerunt ibi Coloniam, ab equis denominatam, nam Eporedicos Gallis peritos equorum domitores Plinius dictos ait: sive quòd ibidem equi ab incolis optimè domarentur, sive quòd ibidem magno numero à Romanis publicè alerentur simul, domarenturque. In cujus rei confirmationem, propè Bolencum, qui locus distat unico tantùm ab ea Vrbe lapide, ostenduntur non modicæ ædificiorum ruinæ, creditæ veterum, quæ Romani pro equilibus struxerant, rudera Stabulorum. De Eporedia meminit Strabo, dum ait, devictos à Cæsare Salassos ad eandem Civitatem (quæ Colonia Romanorum erat, ut præsidio contrà illorum insultus esset) deductos, universosque ibi sub hasta venditos. De eadem meminêre Brutus, semel, atque iterum Eporediâ scribens ad Ciceronem; Tacitus, firmissimis Eporediam transpadanæ regionis Municipiis annumerans. Ptolemæus tab. 6. Europæ; Antoninus, in Itinerario à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, aliique. Memoratur quoque duplici veteri Inscriptioni, à Philiberto Pingonio in Augusta Taurinorum exscriptæ. Earum una sic habet.

Colonia Romana.

Nominis origo.

Inscriptio.

P. METELLVS.
L. F. DEC. TÁVR.
ET QVÆSTOR.
ITEM DECVRIO
EPOREDIÆ II VIR
IOVI AVG.
EX HS. X̄.
TEST. PONI. CVR.

Altera verò hisce verbis concipitur:

Inscriptio.

D. M.
P. ARRII
SECVNDINI
....CVRIAL. TAVR. ET
....AR....EPORED.

Nominis varia inflexio.

Eboreiam, immutatâ aliquantùm voce dixit, sive Aimoinus, sive alius ejus continuator in Francorum annalibus, narrans scilicet Carolum Magnum Imperatorem celebrato die Natali Sancti Ioannis Baptistæ apud EBOREIAM (dixerat paulò ante, Vercellas inter, & Eboreiam feciſſe sibi Legatos Aaron Persarum Regis præsentari) Alpes transgressum in Galliam reversum esse. Suppares Aimoino Scriptores nonnulli Iporegiam, Iporiensem Civitatem, Ivoreiam, ac similibus aliis corruptis inflexionibus idem nomen pronunciârunt.

Ea, partim in ima planitie, partim in ascendentis leniter collis dorso domos habet, vetustatem magis, quàm

magnificentiam prædicantes, in quibus nunc non ita numerosa ut olim habitatio incolarum; nam ad sex, non ampliùs, animarum millia recensentur. Civitatis radices gemino hinc inde Monte coërcitus, quem dixi, Duria amnis alluit, rapidissimus: ibique in unum altè fluentes aquas firmissimæ structuræ Pons lapideus (cujus auctorem ad Annum Christi sexcentesimum Agilulphum Longobardorum Regem rentur) fornice uno premit. Vtramque fluminis ripam fama est Civium quondam ædibus occupatam; interque eas eminuisse quamplurium septa Palatiorum, quæ intestinâ Civium dissensione paulatim interière.

Incolarum numerus.

Quæ nunc veterem opulentiam aliquo modo indicant ædificia, tum sacra, tum profana, sunt imprimis rudera Castellatii, ut vocant. Ejus auctor creditur Ardoinus Eporediensium primùm Marchio, deinde Italorum Rex, ut eâ se Arce contra Henricum Bavarorum Ducem, atque Regni æmulum tutaretur. Hanc molem cùm Blanderatenses Comites donatione ab Imperatoribus, unà cum dominio Civitatis obtinuissent, Cives ad Annum MCCV. non dubitárunt diruere solo tenus, postquam paulò ante, præfatorum Comitum jugum pertæsi, eos è mœnibus ejeciissent. Æqualis in Montisferrati Marchiones animorum motus, qui jus in Civitatem videbantur aliquod assecuti, in causa fuit, ut iterum ædificatum, iterum Castellatium illud dirueretur, addito plebiscito, quo annuus Prætor, dum muneris sui possessionem auspicaretur, jubebatur lapidem unum ex dirutorum murorum acervo amovere in odium, ut pronunciare eodem tempore adigebatur, Marchionis Montisferrati. Perstat adhuc, ingentibus quatuor munitum turribus, aliud Castrum, quod Civitatis attiguum muris Amedeus VI. cognomento Viridis, Sabaudiæ Comes ædificavit eo loco, ubi steterat quondam Palatium nobilium Soleriorum dirutum jussu suo, quòd unà cum aliis eorum sectantibus factionem, prædictum Montisferrati Marchionem, sibi adversantem in Vrbem introduxissent. Perstant etiam, opus recentioris ævi, Arces duæ, una quidem ex ejus, quod dixi, Castri regione sita, dum superiore sæculo inter Carolum Quintum Cæsarem, & Franciscum Primum Gallorum Regem acrè arderet bellum, ab Hispanis ædificata: altera verò propiùs flumen à Thoma Sabaudo Principe, dum civili dissensione Pedemontana flagraret Regio. Supererat, ab his distincta, Castelleti nomine Arx: eam tamen Gallorum copiæ everterunt, dum Anno MDCXLI. obsidione premerent Civitatem.

Castellatium.

Aliud Castrum ab Amedeo VI. ædificatum.

Arces aliæ duæ.

Inter ædificia Deo Sacra, primarium locum obtinet, in Civitatis fastigio sita, Ecclesia Cathedralis, Deiparæ assumptæ titulo, olim Apollinis, ut creditur, Templum: nunc verò in ea servatis SS. Bessi ejusdem Vrbis Antistitis, & Tegoli Martyris de Thebæorum Legione Corporibus, ac D. Sabini Spoletani Episcopi Sacris lipsanis, venerabile. Est eadem Ecclesia, præter Episcopum, Taurinensis Archiepiscopi Suffraganeum, novem supra decem Canonicorum Collegio insignis: eosque inter, Archidiaconus, Præpositus, Archipresbyter, Cantor, & Thesaurarius sunt reliquis digniores. Inter Eporedienses porrò Antistites, præter S. Bessum, quem memoravi, numerantur, S. Eulogius Synodo subscriptus Calcedonensi; B. Veremundus, ex Dominis Arborei; Octavianus, Archicancellarius; Hugo, Arduini Italiæ Regis filius; Henricus Henrici Secundi, sive Tertii; Oggerius Henrici Quarti Imperatorum Cancellarii; Wibertus, & Conradus ex Dominis Camagnæ; Petrus, & Pompejus ex Comitibus Vallispergiæ; Obertus, & Conradus ex Comitibus Coconati; Fridericus, Bonifacius, Ioannes, & Dominicus ex Comitibus S. Martini; Albertus ex Gonzaga, quæ nunc Mantuæ tenet dominium, gente; Petrus ex Dominis Cameræ; Bonifacius, & Philibertus Ferrerii S. R. E. Car-

Ædificia Deo Sacra.

Cardinales, Ioseph ex Marchionibus Cevæ, aliique Sanctitate, vel sanguinis claritate illustres viri. Post Cathedralem, eminebat olim S. Stephani Protomartyris Abbatia, Ordinis Benedictini, structa circa Annum Christi M XLI. ab eo, quem paulo ante memoravi, Henrico Episcopo, Imperii Cancellario. Verùm ejus Abbatiæ Ecclesiam, eò quòd officeret novo aquarum alveo, qui ante ducentum annos à flumine Duria, Eporediâ Vercellas deductus est, placuit dirui solo tenus. Ordine sequuntur Cœnobia Dominicanorum, Minorum Conventualium, & Augustinianorum Congregationis dictæ de Lombardia, quorum Ordinum Religiosi in Vrbem introducti sunt à prima ferme eorum cujusque fundatione. Præter Cathedralem, insunt Ecclesiæ Parochiales S. Odorici, S. Salvatoris, Sanctorumque Petri & Donati, quas administrant Presbyteri sæculares. Non desunt Monialium duo Partenopæa, Clarissarum scilicet, atque Cistercienssium; Clericorum Seminarium; Disciplinatorum Confratriæ aliquot, SS. Mauritii, & Lazari Ecclesia commendata, Xenodochium, Mons pietatis. Hæc intra mœnia.

Ædificia Deo sacra extra urbem.

Extrà muros, in Suburbiis finitimoque agro sese offert vetus sub Divi Laurentii titulo Prioratus (Congregationis Mortariensis Regularium Canonicorum olim Præpositura) nunc in Commendam redactus, addito pro administrandis Sacramentis, iis, qui ruri degunt, functionum jure Parochialium. Sequuntur D. Nazarii fanum Equitum Hierosolymitanorum Præceptoria, Capuccinorum elegans Cœnobium; Domus Antoniani Ordinis Hospitalis, Fratrum Minorum de Observantia capaciissimum Monasterium, Divo Bernardino Senensi hortatore ædificatum, cum Ecclesia, ejusdem postea Seraphici concionatoris nomini dedicata, cui nunc inserviunt illi, qui arctiùs observationi Franciscanæ Regulæ addicti, Reformati dicuntur; ut omittam minora Sacella, aliaque loca Deo sacra, quæ non vacat enumerare.

Eporediarum Marchionum initium.

Quod attinet ad Eporedianos Marchiones, Historicis cunctis notos: ii initium habuêre à Carolo Magno Francorum Rege, atque Imperatore. Sicut enim Romani quondam, devictis Salassis, Coloniam, ut dixi, Eporediam deduxerant, ad eos in fide continendos, servandoque ab Alpinorum, Transalpinorumque populorum insultibus eo Italiæ claustro: ita Carolus, victo, deletoque Desiderio Rege Longobardorum, geminas Alpium fauces, Cottias, & Penninas, gemino Marchionatu, seu dicere mavis confinium custodiâ tutari voluit, Secusino scilicet, ac Eporediensi. Ab Asprando primo Eporediæ Marchione geniti successivè creduntur reliqui, qui in superiùs memoratum Ardoinum Marchionem creatum unanimi Principum Italorum consensu, in conventu Ticinensi, Regem Italiæ desierunt. Ardoino ad Annum M XVIII. ab humanis exempto, cùm in ejus filiis (Henrico Bavaro adversario, Arnulphoquè Mediolanensi Antistite Henrici sectatore prævalentibus) ad retinendam avitam, paternamque ditionem virium satis non supereresset, Eporedia Civitas, cum toto Marchionatu, qui quamplures adjacentium Vallium, magnamque Cisalpinæ Provinciæ Partem complectebatur, Germanis Imperatoribus parere coacta est, usque ad Annum M CC XLVIII. quo illam, unà cum Salassis inferioribus (Canapitium modò vocant) Fridericus Secundus Cæsar, beneficiorum acceptorum memor, donavit Thomæ Sabaudo Maurianensium Comiti; eamque donationem quatuor post annis confirmavit Gulielmus Hollandiæ Comes, electus Rex Romanorum: ratamque habuit, ad eluendum jus quod in eam Civitatem Ecclesia prætendebat, Pontificio diplomate Innocentius IV. Papa. Caruit tamen per Annos sexaginta quatuor hæc dominii in Sabaudum translatio suo effectu; obnitentibus

Eporediæ dominium quando in Sabaudum translatum fuerit.

nimirum Montisferrati Marchionibus; à quibus, uti etiam, & à Mediolanensibus, Provincialibusque cùm se Eporedienses viderent identidem lacessitos: ac super hæc ab intestinis Civium discordiis rem eorum publicam distractam, dissipatasque privatas opes; tandem, conciliatis animis, proscriptoque nomine factionum, ad Amedeum, cognomento Magnum, Sabaudiæ Comitem, memorati Thomæ filium; nec non ad Philippum Sabaudum Achajæ Principem, Amedei Patruum, quos sciebant ab Henrico VII. Imperatore jam anteà creatos Vicarios S. R I. in Italia generales, unanimes confugerunt. Cùm itaque eo loci Anno M CCC XIII. uterque Princeps cum exercitu contendisset, Civitatis in eos dominium certis conditionibus est translatum, agente Alberto Gonzaga Præsule, assentientibusque Vallispergiæ, & S. Martini Comitibus, qui capita partium fuerant. Ab hoc tempore, adversante licèt quandoque Marchione Monferratensi, superiorisque sæculi, Austriacos inter Gallosque belis, nunc hujus, nunc ejus partis invasionibus cedere nequicquam cogentibus, Sabaudæ Domûs imperio paruit Eporedia, atque ad hanc usque diem fidelissimè perseverat: non expers tamen earum calamitatum, quas, post Victoris Amedei hujus nominis Primi, Ducis interitum, bellum Civile in Regionem invexit Pedemontanam.

Floruerunt olim, florentque etiam ex parte, modò in hac Patria familiæ plures avitâ claræ nobilitate: prodieruntque ex ea viri rerum gestarum gloria insignes. Hujusmodi fuêre Bartholomæus, ignoti cognominis ad Annum M CCC LX. Episcopus Regiensis; Perretus, Ladislai Neapolitani Regis copiarum primarius ductor, Almæ Vrbis Gubernator, Trojæque Comes; F. Bonifacius, Ordinis Minorum Alumnus, ab Vrbano IV. Summo Pontifice, procurandæ Orientalis, Occidentalisque Ecclesiarum unionis causâ Anno M CC LXIII. ad Michaëlem Palæologum Constantinopolitanum Imperatorem legatus. Hæc retulisse de Eporedia satis. *Familiæ Nobiles.*

VII.



IVREA

DORA BALTEA

Indice delle cose notabili.	D. Piazza del Borgetto e di S. Grato	H. Porta di Ranchi e fu di Vercelli	N. Molini	P. Convento de Capuccini	4. S. Pietro	8. S. Stefano	12. Il Suffragio	16. S. Pietro Ad Vincula con Joanne Maria
A. Forte detto il Castello	E. Il Castello	I. Bastione detto il Cavaliere	N. Imboccatura del Naviglio che scorre a Vercelli	1. Cathedrale	5. S. Michele delle Monache	9. P. del B. Perrone	13. S. Maurizio e S. Domenico	
B. Ponte Canonicale	F. Porta d'Aosta	K. Bastione detto il Verde	O. Il P.° Naviglio	2. Vescovato	6. Il Giesù, e Seminario	10. S.ta Francesco	14. S. Chiara Monache	
C. Cittadella	G. Porta di Torino	L. Fortificazione principiata		3. S. Nicolò de Teatini	7. Il Carmine	11. S.ta Isabella	15. S. Agostino	

ALLADIENSE PALATIVM

Quod PHILIPPVS A. S.ti MARTINO
Alladii Comes, Sancti Damiani, et Riparolii Marchio,
Et Sabaudi Ordinis Torquatus Eques,
Ad Familiæ splendorem, suorumq; Principum delicias
Magno impendio excitavit.
Et CAROLO LVDOVICO Primogenitu Fratris Filio
SANCTI DAMIANI MARCHIONI.
Vaiveria cum Hereditate legavit.

VILLA FRONTENSIS IN CANAPICIO.

POsitum est Frontis Oppidum in eo Canapicii tractu, quem Malonus amnis, è præruptis Alpium proximarum jugis exortus, præterfluit; nec rarò crescentium aquarum copia exundans, ubi se demissioribus alvei ripis altè superfudit, latè innatat campis, suasque secum ruinas vehens, in Padum prodigè tributarius evolvit. Ab hoc Flumine collis in summo æqualiter declivis nascitur, cujus ad radices situm id, quod memoravimus, Oppidum, se in planitie distendit exiguè prona, quam viridantium herbarum amœnitas, & fluminis præterlabentis aspectus ad omnem hilaritatem componit. In ipso collis vertice visuntur etiamnum subruta quædam mœnia, & trigona turris, antiqua monumenta positæ ibidem arcis.

Situs.

Sed medius clivus, in planitiem paulò latiorem æquatus, Palatium habet immanibus extructum sumptibus ab Excell^mo Domino Marchione S. Germani D. Octaviano Sanmartino ab Alladio, ejusdem loci Toparcha, qui præ se parem antiqui generis claritati animi magnitudinem ferens, usque adeo beneficio artis naturæ compensavit injuriam, ut quos primum allexerat ad videndum ædificiorum novitas, & elegantia, sæpius postmodum attraxerit Regios Sabaudiæ Principes amœnitas loci, aerisque salubritas detinuerit, à gravioribus curis respiraturos.

Palatium insigne.

Tres inibi surgunt ædium elegantissimarum moles, pari disjunctæ divortio, suisque singulæ viridariis interstinctæ. Ad lævum palatii latus, elatiore quodam in situ, æquabili tractu clivosus tumor coæquatur: mox deprimitur in Valliculam, ubi viridantibus umbrata sylvulis ruralis scena aperitur. Theatrum, id est, aptè dispositis è candido marmore parastatis distinctum, quibus innixa sulciuntur epistylia, & nobiles projecturæ. Theatralis verò corona in antrum definit, ubi Herculis visitur simulacrum, vel sic, dum riget, belluis formidandum.

Ab aula palatii quingentorum passuum ambulacrum, recta utrinque carpinorum serie inumbratum, prospectum ducit in aream ovati circuitûs, frugiferis arboribus circumvestitam, ac demum in cryptam, cujus extimam faciem columnæ sustinent, & posita intercolumniis signa magnificè exornant. In cryptæ meditullio trifido insignis sceptro Neptunus insidet scopulo, in pyramidis speciem conformato è conchylibus æquoreis, monstrisque marinis, è quorum gutture, auribusque ludibundus emicat in sublime copiosus latex, excipiturque in subjecto cratere desiliens. Speluncæ fornix multiplici concharum genere, & versicoloribus lapillis opere musivo concameratus, incumbit magnæ coronidi, quam per ambitum fulciunt parastatæ duodecim, interjectis loculis consimili opere elaboratis; quibus imposita rigent albenti marmore Nereidum Tritonumque elegantissima simulacra. Accedunt à lateribus marmorei gradûs obsepti clatris, qua statuis, qua pyramidibus insigniti, &

Ambulacrum carpineum.

Fons elegans.

vantiæ ſtrictioris Monaſterium; Blanderatenſium Comitum Loci Dominorum, quorum paulò antè memini, Anno M CCCCI. ære fundatum, cujus Eccleſiam ſub B. Mariæ Gratiarum invocatione, Gulielmus de Gattinaria, ex Dominis Arborei, Epiſcopus Nicomedienſis, ſolemni inauguratione, Anno trigeſimo primo ſupra Milleſimum quingenteſimum conſecravit.

Peperit verò venerationem eidem Templo peculiarem Beatus Candidus Ranceus Nobilis patritius Vercellenſis, Seraphicique Ordinis alumnus, vir præclaris virtutibus præditus, morumque Sanctimoniâ, qui cùm in Oppido Vallispergiæ naturæ, ab humanis exemptus, debitum perſolviſſet, ejus inde cadaver, in San-Georgiano Cœnobio apud Sodales ſuos humatum, operatione fulget miraculorum, teſte ipsâ, quæ ejus tumulo appoſitâ legitur, Sepulcrali Inſcriptione. *V. Conſi. dat.*

S A-

ANTIQUISSIMUM SANCTI GEORGI

CASTRUM QUOD NOBILISSIM[illegible] ET PULCHERRIMUM ARS

ET NATURA PROGENVIT[illegible]



SALVTIÆ.

Situs.

SAlutiarum Civitas, Italicè *Saluzzo*, ad Maritimarum extremas radices Alpium sita est, non longè ab Eridano fluviorum Rege, atque in Vesuli Montis, per quem eædem Alpes à Cottiis dirimuntur, prospectu. Vbi nunc Civitas sedet, putant aliqui fuisse olim Augustam Bagiennorum, Ptolemæo & Plinio memoratam: nos tamen eam alibi collocantes, arbitramur, florente Romano Imperio, Salutias modici nominis Oppidum exstitisse, gratisque asseri quicquid, vel de Saliis, aut Saluviis conditoribus, vel de Saluris inibi sito Templo, sive de Saliis Martis Sacerdotibus, salignæ frondis festum ibidem agentibus, recentiorum nonnulli, nullà veterum Scriptorum freti auctoritate, affirmant, pro derivanda ejus etymi ratione; cujus (sicut in plerisque locorum, regionumque nominibus passim licet animadvertere) origo omninò ignota. Primam Loci hujus notitiam suppeditavit Adelmus Monachus Benedictinus, in vulgatis à Pithœo Francorum Annalibus referens Bertradam Caroli Magni, & Carlomanni Franciæ Regum Matrem, Anno M CC LXX. cum Carlomanno minore Filio *apud Salutias* locutam, pacis inter ipsum, fratremque ineundæ causâ, in Italiam inde profectam propter Filiam Desiderii Longobardorum Regis in Vxorem Filio suo Carolo expetendam, adoratis Romæ Sanctorum Apostolorum liminibus, ad Filios in Galliam remeasse. Altum penès sequentis ævi Scriptores de eodem Loco silentium ad Annum usque M XXVII. quo Odolricus Magnifredus Marchio Secusinus recens à se fundato Caramanensi Sanctimonialium Parthenoni donavit, inter cætera tertiam partem *de Corte, qua Salutia est vocata*, excepto Castro, cujus sibi dominium ejus tenore diplomatis reservavit.

Nominis origo incerta.

Prima ejus notitia.

Civitas loco sita saluberrimo Soliquè undequaque expositò, è longè latèque patente planitie, paulatim in summum ascendit verticem, unde in totam circumquaque regionem Pedemontanam lætissimus est prospectus. Ibi vetus, quod Marchiones Salutienses inhabitare consueverant, Castrum: amplissimum ponè forum, Vrbanum Palatium, Palatinæque longo ordine Magnatum ædes. Ea Civitatis pars, dicta priscis tabulis Burgum novum, seriùs inhabitari cœpisse videtur, quàm inferior, dicta in eisdem tabulis Burgum vetus, cujus rei documento sunt Ecclesiæ duæ, quæ adhuc ibidem visuntur, olim ambæ Parochiales, Cathedralis scilicet, de qua inferiùs, & S. Martini, à quibus incolæ omnes spiritualia accipiebant. At cùm ii pluribus suburbiis divisi inhabitarent, propterea que minùs tuti ab hostilibus insultibus viderentur, coalescentes in unum, partem superiorem, magnamque portionem inferioris Anno M CCC LXXIX. lateritiis cinxêre muris, excluså tamen, utì adhuc est, extra eorundem murorum ambitum Ecclesiâ Cathedrali.

Aëris salubritas, & loci amœnitas.

Ager licèt minùs pateat, quàm olim patuisse dicatur, tamen inter feraciss imos numeratus, æquâ planitie, quam Padus fluvius, atque eum intrantes Veraita, & Bronda rigant, collibusque distinguitur peramœnis. Planitiem triticeâ, oleraceâ, cannabinâ, fericeâ messis ditat, augetque censum hortorum suburbanorum, pratorumque proventus, qui alendo bubulo, atque equino gregi affatim suppeditat alimenta. Colles pomiferis arboribus, diligentissimèque excultis vitibus vestiuntur, ex quibus tanta provenit vini, ejusque generosissimi, abundantia, ut exteris mirum videri debeat. Superiores collium flexuras, quà ad Boream vergunt, castanearum adumbrant nemora spatiosa, certissimum,

Soli fertilitas.

mum, si annonæ caritas superveniat, rusticanæ inopiæ levamentum. Nec desunt in Montium, qui totam eam Oram coronæ modo circumambiunt, declivi latere, nutriendo pecori, atque igni, læta pascua, silvæ cæduæ. Cunctis verò circum circà Alpinis Montibus supereminet Vesulus, inter Iuga Alpium, utì Solinùs ait, superantissimus, è cujus gremio toti Orbi notissimus, quem initio memoravimus, Padus funditur.

Templa intra Oppidum.

Inter Salutiarum spectabilia primo sese offert loco Basilica Cathedralis, Deiparæ Virgini consecrata D. Iofredi, è Thebæorum agmine Martyris, ac cum D. Constantio Salutiensis Marchionatùs Patroni, sacris ossibus nobilitata. Huic administrandæ præerant olim Plebanus unus cum nonnullis Presbyteris, quorum electio à Rectoribus celebris B. Mariæ de Testona propè Montemcalerium Ecclesiæ dependebat. At, curante Ludovico II. Marchione, Sixtus Quartus Romanus Pontifex duodecim eam Canonicorum Collegio exornavit, additis, qui dignitate cæteris emineren̄t, Archidiacono, Præposito, Archipresbytero, Cantore, Præcentore, & Thesaurario, quorum numerus, tituli, muniaque supersunt adhuc. Præposuit verè omnibus illis Decanum usu ferulæ conspicuum, atque mitræ. Verùm Decanatùs hujusce loco, instante Margaritâ Fuxiâ, præfati Ludovici Marchionis Viduâ, Iulius Secundus, Romanus itidem Pontifex, Episcopales ibidem infulas introduxit, erectâ novâ Diœcesi Salutiensi, quam voluit à cujuscunque Metropolitani jurisdictione esse omninò exemptam, immediatèque Sedi Apostolicæ subjectam, assignatis eidem sexaginta novem Oppidorum, quæ tunc Marchionatum constituebant, Paroeciis, partim à Taurinensi, partim ab Albensi, Astensique avulsis. Super hæc, eadem Margarita Marchionissa, ut pietatis suæ æterna relinqueret posteris monumenta, suo, totiusque Marchionatùs ære, eam, quam dixi, Cathedralem Basilicam à fundamentis de novo ædificavit, ejus amplitudinis, atque architecturæ, ut parem in tota Subalpina Provincia ita facilè non invenias; tot Altarium numero venerabilem, quot in eadem numerabantur Canonici, & Dignitates. E Cathedralis regione sese spectandam offert antiqua, sub invocatione S. Martini, de qua supra factus est sermo, Parochialis, ubi nunc conveniunt Sanctissimi Iesu nominis Sodales ad sui peragenda exercitia instituti.

Templa extra Oppidum.

In eadem extra Civitatem sita planitie spectantur sacra septa Augustinensium, Congregationis dictæ de Lombardia, atque Capuccinorum. Hinc prodiit Frater Zacharias Boverius, vir apprimè doctus, rerumque sui Ordinis historicus enarrator. At ubi in vitiferos colles assurgit ager, eminet D. Bernardini, inhabitatum à Minoritis, qui nuncupantur de Observantia, Monasterium, cujus fundator perhibetur ad Annum M CCCC LXXI. Ludovicus, ejus nominis primus, Marchio. Inde si aliquantum eosdem ascendas colles, ingredi licebit antiquum D. Laurentii fanum, Prioratùs olim titulo insignitum, cujus administrationem susceperè ab Anno M C XCII. Regulares Canonici Vlcienses, ut in iis, quæ ad animarum salutem spectant, veteris Castri habitatoribus præsto essent. At verò istud nunc (unà cum alio, sub invocatione D. Eusebii simili Prioratu, in agri planitie sito, juris quondam Monasterii Caburrensis) Ecclesiæ Cathedralis Capitulo est addictum.

Quando Episcopales Infulæ introductæ.

Cœnobia.

Intrà Civitatem, primo loco commemorandum Cœnobium Fratrum Prædicatorum, eique annexa sub titulo S. Ioannis Baptistæ, Christi Præcursoris, Ecclesia sumptuosa, in qua jacet, non sine cultu, Corpus B. Stephani Bandelli, ejusdem Ordinis Sacerdotis, eximii Theologi, atque Concionatoris, qui in eodem Cœnobio, mirabilium ante, & post mortem patrator, Anno Christi M CCCC L. suæque ætatis octuagesimo primo, migravit ad Superos. Refertur verò istud de hoc Sancto Viro peculiare, quod aliquando unà cum intemerata Virgine, sublimis in aëre, hostibus, qui Salutias obsidione cinxerant, minaci vultùs

B. Stephanus Bandelli.

vultùs majestate perterrefecerit, sicque Civitatem ab imminenti excidio liberaverit. Visitur in ejus Ecclesiæ Choro, superiùs memorati Ludovici Secundi Marchionis affabre sculptum marmoreum mausoleum: & circum circa intimos Templi muros, atque in Claustro interiore prostant posita viris insignibus Epitaphia. Loco Civitatis editiore, ad Fanum D. Bernardo Sacrum, incolunt Franciscani Conventuales, qui annuente Canonicorum Capitulo, Parochi, sub recognitione annua, munus gerunt. Inferiùs verò, ubi recens structum D. Nicolai Tolentinatis Delubrum, degunt Augustiniani Discalceati. At in Vrbis totius centro, Clerici Regulares Societatis Iesu, qui novissimis hisce annis, erudiendæ pietate & disciplinis litterariis Iuventuti, quatuor Classium Collegium ibidem aperuerunt. Et hi quidem Sacri Virorum cœtus. Fœminarum, quæ virginitatem Deo voverunt, tria eadem Civitas numerat Monasteria, Cistercienſium videlicet, Clarissarum, Bernardinarum. Nec desunt Laicorum Sodalitia quatuor, nempè Confalonis, Sanctissimæ Trinitatis, Nominis Iesu, S. Ioannis Decollati, sive Misericordiæ, Almæ Vrbis Archiconfraternitatibus aggregata; duæ piarum Mulierum, quas Humiliatas vocant, Societates, ac unum à protectione Principis dependens, in subsidium egenorum, Xenodochium. Hæc de rebus Salutiarum Ecclesiasticis satìs.

Dominium Secutare.

Quod ad dominium Civitatis, Marchionatùsque profanum spectat, suberat olim, cum potissima parte tractùs Pedemontani Marchionibus Secusinis qui à Caroli Magni tempore, Italiæ claustra, quæ in Gallias, per Iani, & Cinisii Iuga ducunt, custodiebant. Secusino postmodum Marchionatu in Adelaide Olrici Manfredi Filia, jure hæreditario, desinente, alia ejusdem nominis Adelais (quam Petrus, Adelaidis prioris ex Oddone Maurianensi Comite Filius, genuerat ex Agnete Pictavienſi) Salutiarum Ditionem in Bonifacium Tethis Marchionis de Vasto Filium, Aleramique illius, penès Italos Scriptores admodùm celebris, Nepotem, transtulit jure dotis. Hinc paulò post Annum M C XXII. quo memoratus Bonifacius excessit è vivis, innotescere incepit Salutiensis Marchionatus in Monfredo hujusce nominis primo, Bonifacii ejusdem primogenito, à quo genus agnovère suum, qui posteà in ejus Ditionis dominio successere, reliqui Marchiones. Hi cum primariis totius Europæ familiis matrimonia contrahentes, cum Regia videlicet stirpe Sabaudica, Monferratensi, Arborea, Suevica, Viennensi, cum Principibus Mediolanensibus, Palæologis, Estensibus, Achajensibus, cum Marchionibus Cevæ, cum Intemelii Gebennarum, Rouciaci, Petræaltæ Comitibus, Baucii Dominis, aliisque hujusmodi, claritate sanguinis spectatissimis, plura cum finitimis gessere bella, cum Sabaudis præcipuè Principibus, quorum armis persæpè sunt lacessiti, ob denegatam ab eorum nonnullis homagii clientelaris præstationem, quam Thomas Primus, Sabaudorum Comes sibi, uti Italiæ Marchioni, atque Secusinæ Domus Hæredi, & cujus Prædecessoribus Manfredus Primus Marchio Salutiensis, Anno M C L X I X. jam præstitisset, debitam asserebat. Gessit etiam domestica, unde prodiére civilia, bella stirps ipsa Salutiensis, ex qua geniti (dum contrà sibi adversantes consanguineos externa advocant auxilia, atque aliorum, rem suam agentium, armis in suos gentiles ruunt) extremam cladem familiæ intulerunt.

Bellorum inter Sabaudum Ducem & Gallorum Regem origo.

Hinc bellorum origo Sabaudos inter Duces, atque Gallorum Regem, in quem Ioannes Ludovicus Marchio, Ludovici II. & Margaritæ Fuxiæ Filius, postquam inter eum, atque Franciscum Fratrem pro Marchionatùs successione discordiæ diuturnæ intercessissent, licèt adhæsisset aliquandiu Austriacæ factioni, atque Emanueli Philiberto Sabaudiæ Duci Sacramentum homagii persolvisset, transfuderat jura sua. Cùm igitur, eodem Io. Ludovico exstincto, repeteret Sabaudus à Gallis, qui eo potiti erant,

Marchionatum, Carolus Emanuel, Emanuelis Philiberti Filius, Dux Sabaudiæ, optimè gnarus ex Gallicæ nationis vicinia, per finitimas valles, Hæreticos Delphinates posse non modò Provinciæ Pedemontanæ, verùm etiam toti Italiæ pestiferum Hæresis afflare virus, cum magno Catholicæ Fidei detrimento, non ultrà cunctandum ratus, armis rem gerere instituit, atque bello jus suum prosequi. Missis itaque, ductisq; militaribus eò copiis, Centallo, Carmagnoliâ, & Salutiis occupatis, atque Revello, Verzolio & Castro Delphini, post diuturnam oppugnationem, expugnatis, totum Marchionatum Anno M D LXXXVIII. in potestatem suam redegit: ejus rerum successui faventibus Gallorum dissensionibus intestinis, atque Regis Henrici Tertii morte, qui eo, qui secutus est, anno infelici fato de medio sublatus est. Cùm autem Regni coronam capessiviſſet Henricus IV. Borbonius, qui prius Navarræ Regno imperitabat, Sabaudo alioqui infensus, quòd adversariæ sibi factionis studiosus, contra sui sectatores in Provinciam exercitum traduxiſſet, is non modò Salutiensem Marchionatum, verùm etiam Sabaudiæ Ducatum infestis signis aggressus est. Diversa per aliquot annos hinc inde bellatum forte, plures Arces, munitaque præsidio loca, modò capta, modò recuperata. *Tandem per Clementem VIII. composita.* Tandem, cùm utraque pars rem arbitrio Summi Pontificis commisiſſet, Clemens VIII. Pontifex Maximus, per Nepotem suum Petrum S. R. E. Cardinalem Aldobrandinum, animos utrinque conciliavit, adeò ut die XVII. Ianuarii Anni M DC I. Lugduni ad pacis conditiones deventum sit, decretumque inter cætera, ut Sabaudus Comitatum Sebusianum, aliasque nonnullas, tam ultra quàm citra Rhodanum regiones ac Castrum Delphini in Alpibus Cottiis positum, Regi Henrico cederet; hic verò jura quæ sibi, utì Viennensium Delphino, ac Phocensis Provinciæ Comiti competere contendebat in Marchionatum Salutiensem, Centallum, Demontem, ac Sturianam Vallem, in Carolum Emanuelem, ejusque in Ducatu Sabaudiæ Successores transferret. Hinc factum est, ut quamvis dominia longè ampliora Rex acceperit, quàm donârit, bene tamen Sabaudus crediderit actum cum rebus suis, quòd Ditiones, quas priùs in Italia possidebat, hâc accessione locupletarit, conjunxeritque, quæ priùs dispersæ erant. Contulit etiam toti Reipublicæ Christianæ, ab extremis Italiæ finibus Hæreticorum commercia arcuisse, à quibus damnum animarum, atque Fidei Catholicæ periculum timebatur.


Regiminis ratio. Addito, ut dictum est, Coronæ Sabaudicæ Salutiensi Marchionatu, juri eidem publicè dicundo memoratus Dux Carolus Emanuel deputavit Præfectum unum, Fisci Advocatum, Adsessorem, atque Patrimonii Curatorem, quibus postea Referendarius est adjectus. Hi omnes voluit ut Salutiis residerent. Taurinensis verò supremæ Curiæ Senatorum uni commisit ejus Patriæ negotia, atque causas, ut faciliùs, promptiùsque expedirentur. At Salutiensis Civitas, ut posteris testatum faceret, quantâ Civium lætitiâ, atque plausu ad Sabaudicum dominium postliminio rediisset, appositis, eodem, quo est acta res, anno, Palatii publici foribus, Regiis Stemmatis Sabaudi insignibus, sequentem addidit, lætantium, plaudentiumque animorum indicem, Inscriptionem:

Imperii finibus prolatis, Sabaudiensibus rebus compositis, tranquillato universo nomine Christiano, proavitam hanc sedem, tanquam postliminio restitutam pristinæ ditioni, miro ingenio, summâque prudentiâ, ac incredibili populi applausu adjunxit Optimus, Piissimus, Invictissimusque Princeps & Marchio Divus CAROLVS EMANVEL, *cujus iccircò insignia, in subjectionis perpetuæ & clientelæ testimonium, proprio ære hîc appendi* SALVTIARVM *Civitas mandavit, Alexandro Ogerio, & Horatio de Pino Syndicis. Anno Salutis* M D C I. *Quinto Cal. Octobris.*

SALVTIARVM CIVITAS, olim SALVZZO







Auctore Ioanne Maria Crosato

NOTARUM EXPLICATIO

1. Babylon.
2. Conventus FF. Minorum Observantium S. Francisci.
3. Castrum. 4. Mons.
5. Monasterium Sanctimonialium Annunciatæ.
6. Domus Episcopalis.
7. Molendina Comitis ab aquæductu rivo per totam Civitatem planum ascendente circumacti.
8. Ecclesia Cathedralis Sanctorum Reparatæ cognominata.
9. Palatium Comitis.
10. Conventus FF. Ordinis S. Dominici.
11. Oratorium Societatum Misericordiæ nuncupatum.
12. Conventus FF. Carmelitarum Discalceatorum S. Augustini.
13. Oratorium Societatum Confalonerii.
14. Hospitale.
15. Monasterium Monialium S. Clarae Franciscanarum.
16. Conventus Capucinorum S. Francisci.
17. Collegium Societatis Jesu.
18. Monasterium Ordinis Cisterciensis Monialium Sanctæ.
19. Conventus FF. Franciscanorum Conventualium.
20. Oratorium Societatis S. Trinitatis.
21. Conventus FF. S. Augustini.
22. Sacra Domus S. Mariæ de Consolatione et Oratorium Societatum nomini Ejus.
23. Castrum superius seu vetus. 24. Ecclesia S. Laurentii.
A. Mons Catholicus.
B. Excelsus Specubus.
C. Cubicula Rupibus.
D. Mons Pyramidalis collibus Montium junctus.
E. Fluvius Thymus.

RVPELLVM.

VEsulus Alpium Apex fortiſſimarum Arcium Pedemontani Principatûs, ſed in primis Rupelli (Itali Revellum vocant) ſuperbus eſt index. Hujus altitudinem nullus hactenus certò dimenſus eſt, inacceſſum quippe culmen montes alios ſupereminet, & toto vertice ſupta eſt. Poſt longum per Vallem Padi tramitem trium milliarium aſcenſu, inſtabili, pendenti, & vix adeundo veſtigio, venitur ad famoſa illius Oſtia, ſive Annibalis, ſive, ut verius, Pompeji ferro, flammâque reſerata, quibus ad octoginta circiter paſſus, facto ſcopuloſa & cæca per viſcera itinere, compendioſâ Riſtoraci viâ in Delfinates aditus patet, confecto ſcilicet ad horam itinere, quod vix plurimo per circumactos calles errore, licet abſolvi: dudum impeditum opus, ſed Regiis Caroli Emanuelis votis Cardetenſes contermini, renovato ad commercia miraculo, frequenti ſaxorum lapſu intercluſum iter aperiunt.

Situs.

Iam ad Vallis Padi caput, & Veſuli propemodum pedes, tertio à Salutiis lapide, impervio Rupellum imminet lugo, naturæ, & artis ingenio non pertinax, ſed duratum; fuſam à fronte lævaque planitiem altè deſpectat; à tergo, dextraque Montibus non premitur, coronatur. Avitis Salutiarum Marchionibus afflictis rebus aſylum, omnes hoſtium artes eluſit, impetus fregit, ſtetitque ſemper, vel ab invictis Exercitibus fruſtra tentatum, donec milleſimo, quingenteſimo trigeſimo in quadrageſimum inclinante, Melſio Principis Chriſtianiſſimi exercitûs Duci, à poſtremis Salutiarum Marchionibus ceſſit. Tum quingenteſimo octogeſimo octavo, Caroli Emanuelis I. Sabaudiæ Ducis validiſſimis copiis ſuccubuit. Subinde ſexcenteſimo trigeſimo octavo, Civili bello, gubernatoris ductu, Mauritii ac Thomæ Principum excepit imperia. Denique ſexcenteſimo quadrageſimo primo, victricibus Chriſtianæ Borboniæ nutibus, & Caroli Emanuelis II. armis, Marchione Planitiarum expugnatore, ejusdem Chriſtianæ feliciùs Regnantis regimini paruit. Cùmque eo capto Cardinalis Richelius Gallicam ſtationem impetrare non parceret, nullum non moventi lapidem, ut vel ſuis ſtaret, vel caderet, vel dirueretur indultum; Cuneo præſertim non priùs dedito, quàm æquato Rupello.

Ejus radices nobile Oppidum ambit, raro per iniqua tempora habitatore, ſed prompto. Palatio vel ingenti excipiendo Principi decoratur, illuſtrique Gynecæo ab annis jam trecentis Clariſſimarum Sanctimonialium frequentiâ ſacro. Collegiatam commendat Religio, quam totis gloriæ incrementis Ciſtertienſis, de Stapharda cognominata, Abbatia cumulat, amplis redditibus, beatiore ſolo; utpote Divo Bernardo Auctore dedicata. Quod caput eſt, Sanctorum Iofredi, & Blaſii reliquiis, nec non Divi Philippi Nerii Pallio protegitur.

Palatium & Eccleſia.

Viros inter, quos ſemper alit egregios, celebrem numerat Laurentium Gallum, admirabili vitæ, morumque probitate conſpicuum, cujus fama ſuperſtes, à milleſimo ſexcenteſimo circiter, vel trigeſimo, in Taurinenſi Angelorum Eccleſia, Sanctitatem olet. Adamantes pretioſa etiam ſaxa progignunt, à quibus expolitis tolle mendacium, & veros credas.

Laurentius Gallus.

Varia bellorum tempore ſtatus mutatio.

Regionem omnem amœnitas, & ubertas exhilarant, & ne felicitati deſit irriguum, confinia Padus interfluit ille, qui modò à pluribus cum Virgilio Eridanus nuncupatus, modò à Græcis Bodingum, Ligurum modò appellatione Bodineus, & ab Athenæo Bochernus, Titulis aſſurgit

Regionis amœnitas.

Padi deſcriptio.

ſuis, ut aquis grandior, & teſte Lucano nec Nilo minor, dum triginta ſubhauſtis, nedum ſubactis fluminibus, Regium in fluvios nomen, uni Adriatico ſubdit. Ejus origo, Rupello milliari diſſita circiter decimo, è gremio Veſuli Montis, Viſenda, ut dicitur, ſeu viſendo fonte profluit; tum ſe citatiore curſu ad tria milliaria Rupello admovens; acto primum per cuniculos alveo, pars inferiùs adrepit, pars continuo flumine ſuperiùs decurrit; ſubinde emergens è latebris, junctis licèt cum aperto gurgite viribus, placidus labitur, donec admiſſis vectigalibus fluviorum aquis, Cardeto proximus intumeſcit, & naves excipit. Illo ſparſis ad plura Oppida venis Pedemontium alluitur. Illo traductis plures ad Vrbes vadis munimenta firmantur; Semper idem, non Pedemontio modò, ſed totâ Italiâ ferox, niſi ubi Taurini Domini ſui fræna patitur, Pontem non indignatur, & altiore tumore poſito, mitior Regios pedes adorat. Hoc Rupelli Theatro, admirationi indulgetur; hàc ſpeculâ publicæ indemnitati proſpicitur; hoc propugnaculo, ingenitâ rupium conſtantiâ, Rupellenſium fides non nutat.

MAN-

REVELLVM



MANTA
IN
SALVTIIS.

IN ea Marchionatûs Salutiensis parte, ubi Maritimæ Alpes in Cottias sensim desinunt, quingentis circiter Salutio hinc, Verzolio inde passibus, situs est Mantæ Locus, si quis in Subalpina regione alius, amœnissimus. Oppidum, inferne positum, sat spatiosum aperit introeuntibus forum, non inelegantibus circumquaque stipatum Domibus, Ecclesiamque Parochialem Virgini Deiparæ sacram, ubi incolis ad mille animas computatis spiritualia ministrantur. Ab Oppido supernè eminens, quod hic Lectori spectandum damus, ascenditur in Castellum, sive appellare mavis Palatium: utrique enim usui esse potest, & quòd ab hostilibus aggressionibus (modò tormentariæ machinæ absint) possit per tempus aliquod setueri; &, quòd à Dominis suis hilariter, salubriter, ac commodè habitetur. Id verò cingitur, eruditè dispositis, frugiferis infrugiferisque diversarum specierum arboribus, iis etiam, quæ non ita facilè, præ frigoris impatientia, adolescant in reliquo solo Pedemontano. Has inter adolevêre mali citriæ, aureæque, non (perinde ac in frigidioribus viciniæ regionibus fieri consuevit) invasatæ, ut hiberno tempore in tepidioribus sub terra caveis ad veris usque initium recondantur, verùm in viridariorum ipsorum solida superficie radicatæ. Intermixta porrò buxeta, myrteta variarum in speciem rerum tonsa, suaveolentes flores, apiaria, aviaria, leniter ex circumpositis vallibus flantes Zephiri, lætissimus in vitiferos clivos, silvosos colles, opaca nemora, apricos campos prospectus, deambulationi destinatæ, ductæ in rectum semitæ, venationem suadentes feræ magno numero, volucresque, Tempe visentibus Thessalica repræsentant, gratissimam reddunt, quoties eò divertere placet, Principi rusticationem, dignumque locum, qui, inter subalpini tractûs spectandi, ad vivum exprimeretur.

Situs.

Palatium.


Arboretum amœnum.

Postulat verò argumenti ratio, ut quo tempore Manta Salutiensium Marchionum familiæ, dein verò Regiæ Sabaudi Ducis Coronæ cesserit, breviter attingamus. Cùm olim proprios Castellum istud haberet Dominos, qui nullo alio, præterquam de Manta, cognomine censebantur, ejusdem Castelli portionem circa Annum nostræ salutis M CC. Manfredus, hujus nominis secundus, à præfatis Dominis, emptionis titulo, acquisivit. Partem retinuêre Barletti, seu Barlatini, inter quos, nec non Commune Saviliani, ac Staphardenses Monachos suscitatas lites Iacobus de Rubea, Abbas, ad Annum M CC LXIX. Staphardæ, sopivit. Verùm cùm Anno M CCC XIII. hi contra Henricum VII. Cæsarem, à cujus partibus Salutiensis stabat, conspirâsse, militâsseque delati essent, abrogatum ipsis, quod à se clientelæ nomine possidebant, feudum Manfredus IV. Marchio, sibi illud, suisque posteris postliminio addixit. Hinc à Ioanne, cognomento Magno, Thomæ primi Marchionis Salutiensis ex Alisia Cevensi secundogenito, præfati Manfredi IV. Fratre, atque Doliani, Mantæ, aliorumque locorum Domino propagata ad hæc usque tempora fuit præclara Mantensium soboles Toparcharum,


Diminorum mutatio.

ex qua cunctis retrò temporibus viri pace, belloque insignes prodiêre, suprenum gentilis sui Salutiensis Marchionis, tum, post permutatas inter Sabaudos, & Gallos ditiones, terrasque, Sabaudi Ducis dominium agnoscentes. Numeratur autem inter cæteros Valerianus ingentis animi, exploratique consilii heros, pluribus sui ævi Principibus, Galliarum præsertim Regi, acceptissimus, à quo fuit inter Genistæ Ordinis Equites numeratus. Ejus verò prudentiam, atque in rebus agendis dexteritatem, Thomas III. Salutiarum Marchio Nonus, qui ad Annum usque M CCCC XVI. vixit, adeò notam habuit, ut eundem, unà cum Margarita de Rouxii Vxore, Tutorem Ludovico unico Filio, Marchionatûsque administratorem esse voluerit, eo successu, ut instituto ejus præceptis, & vigilantiâ Principe prudentiorem, ac qui tranquillius suam rexerit ditionem, majorisve fuerit penès exteros existimationis, Salutii non habuerint. Valeriani filius Ioannes paternæ prudentiæ hæres, Staphardensis Abbas, Episcopi Taurinensis, cum Nobilibus de Isnardis, aliisque Sanfredi Dominis, dissidia diuturna sedavit. Ab eodem Valeriano genus duxêre, Theodorus Eques Hierosolymitanus, qui strenuè pro defensione Rhodi à Turcis acriter oppugnatæ pugnavit, ejusque Frater Valerius, inter S. Michaelis Equites, ob ejus in Gallorum Regem merita, adscriptus. Inter ejusdem posteros recensentur præclarissimi tres Sabaudico Torque, quem Virginis Annunciatæ dicunt, insignes Equites, Michael Antonius hujus nominis primus, Franciscus Renatus, Michael Antonius II. Pater, Filius, Nepos: quorum primus, cùm præter Mantæ, Brondelli, Rodinique dominia, Verzolii etiam, Lequii Chissonique possideret Oppida Comitatûs titulo decorata, postquam Acropoli, Civitatique Lugdunensi Regio nomine laudabiliter præfuisset, Salutiensem postea Marchionatum, eodem primum nomine, tum pro Carolo Emanuele I. Allobrogum Duce pariter rexit: quod postremum successivè præstitêre ejus Filius, & Nepos paulò antea memorati, ad alias præterea magni ponderis dignitates assumpti. Possemus hic etiam recensere Silvestrum de Salutiis, Maceriarum, dein Altæcumbæ Abbatem, pro prænominato Carolo Emanuele, ejusque Filio Victore Amedeo I. Sabaudorum Ducibus ad Francorum Regem, & Venetam Rempublicam bis Legato; Imbertum Hierosolymitanum Equitem, Equitatûsque Sabaudi Ducis summum Præfectum, ac Vercellensis Provinciæ moderatorem, aliosque quamplures Salutio-Mantenses illustres viros, qui vel infulati, vel armati fuêre diversimodè de Christiana Republica benemeriti; eos tamen consultò omittimus, ne, quando Loca Geographi describere intendimus, narrare velle gesta familiarum, Historici, videamur.

VER-



MANTA
SALVTIARVM MARCH:
OPPIDVM.



VERZOLIVM.

VErzolium, seu, ut inferiùs à Friderico Cæsare dictum videbimus, Verciolum, Italicè *Verzuolo*, Oppidum Marchiæ Salutiensis spectabile, ad lævam Veraitæ fluvii situm est, ubere solo, atque aere saluberrimo. Ager, frugiferis arboribus, vitibus generosissimis, atque plantis, ad vescendum, hortensibus latè consitus, amœnissimi speciem viridarii repræsentat; unde factum creditur, ut Verzolii, quod Cisalpinis Gallis olitorium hortum significat, loco nomen obtigerit. Habitationes Oppidanorum ex ima planitie, quam duplex alluit aquæductus, paulatim in summum evadunt clivum, ubi circumductus priscæ structuræ, pinnisque fastigiatæ murus, additis ad angulos, partim rotundæ, partim quadratæ figuræ turribus, eminens Castrum ambit, ad loci munimen quondam ædificatum. De eo meminit is, quem paulò ante memoravi, Fridericus, ejus nominis Primus, Imperator diplomate Anno MCLIX. dato apud Aucimianum, in quo se largiri ait Carolo Episcopo Taurinensi, inter cætera, *Curtem de Verciolo, cum Castello, & Turribus, & districtu.* Habuisse tamen hic locus comperitur proprios tempore fermè eodem Dominos, dictos cognomine de Vrtica, qui non ei modò, sed circumpositis etiam Pagis atque Castellis pluribus videntur imperitâsse. Quam ob rem ab hisce Verzolii Dominis Anno MCLXXIX. Manfredus Salutiensium Marchio donatione acquisivit, præter Verzolium ipsum, quicquid in tota Veraitensi Valle, à termino Petræ Eschillandæ ad summitatem usque Agnelli Montis protendebatur. Vetus, quod dixi, Castrum Fridericus I. Marchio, qui post Annum MCCCLVII. Marchiæ præerat, creditur ampliâsse, novisque Turribus muniisse, postquam tredecim ante annos, Nicolaus de Ebulo, pro Ioannâ Siculorum Reginâ in Pedemontio Senescallus, suadente Manfredo Salutio, qui Friderici gentilis sui fortunæ adversabatur, illud, ductis eo Provincialium copiis, vastavisset. Cessit sequentibus temporibus Arx ista, aliquando in Carcerem Principum, ac Magnatum, Ioannis Ludovici Salutii præsertim, qui, defuncto Anno MDXXVIII. Michaële Antonio Fratre, insignia Marchionatûs sumpsit. Verùm cum ad Mantæ Dinastas, ex eadem Salutiensium Marchionum stirpe progenitos, Verzolii dominium pervenisset, unus ex eis Silvester, Maceriarum primò, dein Altecumbæ ad Annum MDCIX. Abbas, vir legationibus ad Francorum Regem, Venetosque cum laude obitis commendatissimus, in amplissimi formam Palatii ædes refecit, perfecitque, additis circum circa amœnissimis viridariis omnigenâ florum ornatis varietate, intermixtis fontibus aquas sursum ejaculantibus, atque frondosis umbræ excipiendæ pergulis operis topiarii. Ea verò est ejus ædificii partium symmetria, ea aularum, atriorum, cœnaculorum, cubiculorum, officinarum dispositio, ea subdialium ambulationum sibi aptè respondentium extrinseca circumductio, ut videri ea tecta possint quovis excipiendo Principe non indigna, quam sibi plusquam semel prærogativam conciliârunt propriorum merita Dominorum.

Situs.

Nominis origo.

Domini veteres.

Castrum in amplissimum Palatium reformatum.

Intrà exteriorem eorum, qui Castro ponè succedunt, murorum ambitum, eminet Templum Parochiale: inferiùs verò visitur vetus, sub titulo S. Ioannis Baptistæ de Felicето Prioratus, in Commendam, utì vocant, modò redactus, quo in loco fama est ab Ariperto Longobardorum Rege ædificatum fuisse olim Sanctimonialium Virginum Monaste-

Templa.

fterium. Adeſt præterea Miſſionariorum Domus Capuccinorum, quos contra Hæreticos, in agro Domini falſorum dogmatum zizania ſeminantes, ad procurandam eorundem converſionem pia Principis liberalitas deſtinavit: nec deſideratur piorum Sodalitium Laicorum, ſub titulo Confalonis.

Cæterùm, inferiorem Oppidi partem mœnibus quondam fuiſſe cinctam, extantes adhuc portæ, & jacentia teſtantur murorum rudera. Ejusdem verò Oppidi nobilior portio Paſcherium nominata, ornatur peramplo foro, novorumque, atque elegantium ædificiorum quotidiana accipit incrementa.

Domini moderni.

Spiritualem in incolas jurisdictionem exercet Præſul Salutienſis; temporali verò, ſub Comitatûs titulo, ſupremoque Sabaudi Ducis, utpote Saluziarum Marchionis, dominio, gaudet Mantenſis Comes, de quo alibi ſermonem fecimus, dum Mantam deſcriberemus.

DRA-

VERZOLIVM OPPIDVM

STEMMA COMMVNITATIS

DRACONERIVM.

INter præclara Marchiæ Salutiensis Oppida, primum, post Carmagnoliam, de qua alibi, locum sibi vendicat Draconerium, Italorum linguâ *Draverro*, quod nomen à Dracone quodam, sive Dragone Toparcha Oppido creditur obtigisse, antequam plures, dispersæ huc illuc, habitationes, ut se ab hostium insultibus facilius tuerentur, in unum ibidem coalescerent locum. Ejus situs est super eminentis clivi æqualiter diffusa planitie, ad fauces Macranæ Vallis, quæ à fluvio Macra, orto ex summis Maritimarum Alpium jugis, eam interlabente, denominatur. Fluvius Oppidi ipsius pone radices alluens, gemino hinc inde scopulo coarctatur, ac lapideo Ponte duplicis fornicis coercetur, cujus tanta est altitudo, ut in admirationem rapiat intuentes, inducatque persæpe vertiginem inferne despicientibus: ex quo factum, ut inexperta, rudiorque plebecula structum credat arte plusquam humanâ. Dispersis, quos paulo ante memoravi, incolarum cœtibus, ex quibus Draconerium emersit, hæc fuisse dicuntur nomina: Surfiana, S. Pontius, Muscheriæ, Rochabruna. In horum postremo Arx stetit olim expugnatu difficilis, nunc excisa, alia ab ea, pariter excisa, quam Reginæ Ioannæ dicunt. Hæc in unum corpus populi disjuncti coitio, brevi numerum habitantium auxit, ac mercimonia introduxit, quæ, non cum Pedemontanis modo, sed cum finitimis quoque Delphinatibus, Provincialibusque ipsis commode intercedunt: Inde accepit res eorum nummaria pariter incrementum; accedente præsertim adjacentis agri culturâ, qui ab Oriente ad tria milliaria in planam longitudinem & latitudinem se diffundens, est tritici, vini, omnisque generis fructuum feracissimus. Ab Austro colles habet pabulorum ubertate à gregibus frequentatos, atque, super hos, eminentes clivos, qui sive frugifera castanearum nemora, sive cæduas silvas, inculti alunt. Ab Aquilone eminent Montes, partim fructiferi, partim, si vulgo & famæ creditur, etiam auriferi. Ab occasu, Vallis, quam dixi, sese Macrana aperit, atque ad Saltum usque Sautroni Iugi identidem se coarctat.

Nominis origo.

Situs.

Pons altus.

Agri adjacentis fertilitas.

Ex hoc Draconerienſis populi incremento factum est, ut, quamvis olim unicus Sacrorum Minister sufficere videretur spiritum habitantium curæ, satius postea visum fuerit Antistiti Salutiensi, cujus hoc Oppidum includitur Diœcesi, Parœciarum augere numerum, quæ nunc sex recensentur. Cæterarum frequentissima, Divisque Andreæ Apostolo, atque Pontio Martyri sacra, cujus Rector, Præpositi titulo honestatus, supra quamplures alias Parochiales in vicinia Ecclesias, Vicarii foranei munus obit, totum complectitur illud spatium, quod veteribus muris, duobusque attiguis Suburbiis circumscribitur. In horum uno (id est Surfiana superius memorata) visitur elegans Ecclesia, Cœnobiumque Capucinorum, quos eo loci ad prioris sæculi exitum, solicitudo pastoralis destinavit, ut Calvinianis, ex finitimo Delphinatu, atque Angroniana Valle eam Oram hæresi inficientibus, se opponerent, ac in avita fide Catholicos continerent; quod jam, ante Capucinorum adventum, eodem ex Taurinensi Vrbe excurrentes præstiterant, institutis Missionibus, Iesuitæ. Visitur etiam intrà Suburbii ejusdem fines vetus admodum Disciplinatorum, sub Confalonis titulo, Sodalitium, cujus Sodales pietatis operibus intenti, eas, quibus utuntur leges, regulasque D. Bonaventuræ Seraphico Doctori acceptas ferunt.

Parochiæ sex.

Ad alteram sub titulo Deiparæ assumptæ Parœciam conveniunt incolæ Rocharbrunæ. Tertia est ad Pagum Muscheriarum. Quarta ad Tecta campestria sub patrocinio Archangeli Michaelis. Quinta est S. Iacobi de Pratovetere. Sexta denique D. Antonio Abbati sacra, ubi quondam Sanctimonialium Cisterciensis Ordinis celebre Monasterium, Staphardensi primitus subditum Abbatiæ, ex Buscæ Marchionum, olim Draconerii Dominorum, fundatione. At hæ locum apertum, atque insolentiæ militari expositum minùs tutè inhabitantes, juxtà Tridentini mentem Concilii, partim Fossanum, partim Salutias sunt traductæ, proventuumque Monasterii portio assignata Mensæ Episcopi Salutiensis, qui, ut circumpositarum commodiùs invigilet curæ Vallium, consuevit ibidem per aliquam degere anni partem. Cæterùm primo loco memoratæ Sanctorum Andreæ, Pontiique Basilicæ cultum, ac venerationem addunt Sacra S. Bonifacii Calaritani Martyris ossa, ex Sardinia Insula illuc à F. Ioanne à Monte rotundo, Moncalerienſi, Ordinis Capuccinorum Generali Ministro translata, atque in SS. Constantii & Barbaræ Sacello, quod est de jure Patronatus Cartinianensium Comitum, collocata.

S. Bonifacii Calaritani Martyris ossa.

At uno vix à Draconerio, versùs Boream, lapide, videre est percelebrem antiquamque SS. Victoris & Constantii, de Legione Thebæa Militum, ac in prope sito Villarii Oppido pro Christiana fide sub Maximiano Imperatore Martyrum, Abbatiam, quam sub Annum Christi D CC XIII. Rex Longobardorum Aripertus fundavit; ab impiis Saracenis dirutam Adalasia Secusii Marchionissa à fundamentis reparavit; Salutiarum, & Buscæ Marchiones multis redditibus, temporali imprimis ejusdem Villarienſis Oppidi dominio ditaverunt; atque Mediolanenses Archiepiscopi, nondum erectà Cathedrà Episcopali Salutiensi, spirituali, supra alia Oppida nonnulla, non procul sita, jurisdictione donârunt. In ejus verò Ecclesia cum veneratione habentur ejusdem S. Constantii Martyris Reliquiæ insignes, inventæ in alio antiquo, ex candido marmore supra vicinum Montem elegantissimè structo Templo, ad quod olim fuisse videtur major, quàm nunc sit, Fidelium, devotionis ergò, concursus.

Iam verò, ut, quod de Draconerio *Domini.* dicendum restat, expediamus, cùm propriis illud quondam pareret Dominis, ab eis in Buscæ Marchionum devenit potestatem: ab his verò transiit ad Marchiones Salutienses, quibus, pro retinendo ejus loci dominio, contra Andegavenses Siculorum Reges, in Pedemontano tractu bellum cientes, non semel certandum fuit. Tandem, cùm Anno M D LII. Ioannes Ludovicus Salutiensium Regulus à patria ditione extorris, contra sibi adversantes Gallos exercitum à Carolo V. Cæsare impetràsset, ductore Ferrante Gonzagà, à quo in avita Sede reponeretur; dirutà à Cæsarianis Civitate ipsà Salutiensi, eodem impetu ab eisdem contrà Draconerienses incolas est sævitum, quòd victori exercitui portas claudere ausi essent. A Gallis postea insequenti anno cum reliquo Marchionatu recuperatum, ab iis vigore pacis Anno M D C I. sancitæ, transiit ad Carolum Emanuelem ejus nominis primum, Sabaudiæ Ducem, qui Oppidum ipsum in Margaritam Sabaudam Filiam suam Notham, nomine dotis, transmisit, cùm videlicet illa Francisco Philippo Estensi, Lancei, & S. Martini Marchioni felicibus auspiciis nupsit. Hinc genitus Carolus Philibertus Emanuel Estensis, penès quem jure clientelari est sub Sabaudiæ Ducis supremo imperio, Draconerienſis Marchionatus.

DRACONERIVM.

1. Sodalitium Conferorum S. Elisabeth Dicatum.
2. Castrum.
3. Templum Parochiale Sub Titulo S. Andreæ Apostoli & Pontu Marjoris.
4. Congregatio Discolinatorum Francisc.ⁿ Militiæ à Deiparæ Bonavent.ⁿ adscriptarum.
5. Cœnobium P.P. Capuccinorum.
6. Ædes S. Sebastiani.
7. Ædicula S. Bernardi.
8. Ædicula S. Crucis.
9. Sacellum S. Birgittæ.
10. Ecclesia D. Rocchi.
11. Sacellum D. Gratiæ Sepulchrum Discolinatorum
12. Ædes S. Michaelis Archang.ⁱ
13. Palatium Communitatis.
14. Nosocomium
15. Suburbium prope Castrum.
16. Suburbium Surianæ.
17. Suburbium trans Flumen Maire.

B V S C A.

EVit Busca celebris quondam Marchionatûs Caput, cogniti Ottoni Episcopo Frisingensi lib. 2. cap. 16. gestorum Friderici I. Imperatoris, quem ait Terdonensium, sicut & Astensium vindicaturum insolentiam, Castris ab Asta motis, in Marchia quadam, quæ Busca dicitur, tentoria fixisse, ibique per dies aliquot morâ factâ, quosdam ex Militibus suis cum Fratre suo Conrado, Bertolfo Burgundionum Duce, & Ottone Vexillifero, præmisisse, qui transmisso amne Tanaro, super ejus ripam castrametati sunt, ut inde ad obsidendos procederent Terdonenses. Hæc Frisingensis.

Buscæ Domini veteres.

Primos, qui hujus dominium Marchiæ tenuêre, aliqui ab Aragoniis Principibus ortos credunt, quod gentilitiorum uniformitas insignium, contractæ cum Vrgelitanis Comitibus affinitates, ipsum Buscæ vocabulum, Hispanicum redolens idioma, frequentiaque penes eosdem Marchiones Raimundi, & Berengarii nomina, satis arguunt. Alii verò ab Aleramo illo, Historicis cunctis noto, à quo Monferratenses, Savonenses, Salurienses, aliique Italici Marchiones derivare conantur eorum genus. At quidquid sit de Buscæ veteribus Marchionibus, certum tamen omninò est, Buscam ipsam, dependentiaque ab ea Oppida (inter quæ fuerunt aliquandò Draconerium cum tota Macrana Valle, Pancalerium, Ruffia, Rossana, Brosascum, Polungheria, Murellum, Cervignascum, Morra, Scarnafigium, Liagnascum, Monasterolium) Salutiensibus aliquando Marchionibus paruisse: & vice versâ eos qui Buscæ dominati sunt, etiam quid olim jurisdictionis Salutiis habuisse.

Situs.

Quod ad ejus situm attinet, & figuram, ea ædificiis satis commodis, in longum productis viis, spatiosis foris, prosilientibus, in usum habitantium, publicè aquis nobilitata, posita est super læva Macræ fluvii ripa, à quo Vallis, quæ se inde versus Alpium Maritimarum flexus extremos aperit, nomen accipit. Ex alio latere, alluitur torrente in Macram ipsum ingrediente, superædificato lapideo utrinque ponte, per quem ab Oppido patet in agrum exitus. Is paucis in toto tractu Pedemontano fertilitate concedens, ad multa passuum millia, partim in collibus, partim in planitie se diffundit: latiùs verò se priscis temporibus diffundebat, antequam Tarantasca Pagus à Busca, cum qua unicam tantùm componebat, ut vulgò dicunt, Communitatem, se, annuente Principe, separaret. Tunc, nondum ad solum disjectis, ut infrà dicam, amplis, frequentibusque suburbiis, quibus hinc inde ambiebatur, animarum numerum ad sex millia excrevisse est fama, iisque in tribus distinctis Parochialibus Ecclesiis sacra ministrabantur. Nunc tres mille quingentæ tantùm animæ numerantur; diminuto videlicet, propter iteratas bellorum clades, atque eam, quæ ibi Anno M DC XXX. grassata est magnopere, pestilentiam, numero incolarum. *Incolarum numerus.*

Ruina ob discordias Dominorum.

Primævum Oppido splendorem excussit circa Annum Christi M CC LXX. Henricus ejusdem Marchio, clientelari se obstringens Cuneensibus Sacramento, contra Thomam Salutiensium Marchionem, qui sibi uni debitum fidelitatis juramentum, utpote directo ejus Marchiæ Domino affirmabat. Hinc juges Marchionem inter utrumque rixæ: hinc populi, nunc huic, nunc illi pro libito morem gerentis diversa studia, & factiones: hinc Cuneensium ipsorum, causamque ab eis habentium Caroli I. & II. nec non Roberti Andegavensium Siciliæ Regum, Cuneique Dominantium con-

trà Salutiensem, conantem supremum Oppidi dominium retinere, armorum motus, Oppidanorumque, nunc ab amicis nunc ab inimicis lacessitorum; excidia, & ruinæ.

Refloruit sub Ioanna I. Andegavensium rebus, regnante apud Neapolitanos Ioannà hujus nominis Primà, in Pedemontio fatiscentibus, Busca visa est vires pristinas resumpsisse, præcipuè cùm Iacobus. Sabaudus Achaiæ Princeps, icto cum eadem Regina fœdere, Buscæ dominium Anno M CCC LVIII. sibi adscivit, ejusdemque Loci Castellaniâ donavit Antonium Filium suum Nothum, à quo derivata nobilis Buscæ familia, quæ cognomen gestavit de Achaia, seu de Morea. Tunc aucto admodum populi numero, mœnibusque sat firmis in sui defensionem excitatis, potuit Busca hostiles eludere impetus, & insultus. Hac super re illustre præstitit documentum Annus M D XXXVI. cùm vigentibus Gallos inter Cæsareosque hostilibus, nec non inter Salutiensis Stirpis Dynastas Civilibus, domesticisque dissidiis, *Frustra à Gallis obsidetur.* Cæsar Fulgosius Genuensis, unus ex primariis Gallicarum copiarum Præfectis, qui numeroso stipatus militie, unà cum bombarbis, aliisque machinis militaribus eam obsessum venerat, nactus optimè armis, defensoribusque munitam, irrito conatu inde abire compulsus est, Annibale Comite Nuvolaræ, strenuisque aliquot suorum Ducibus in murorum aggressione amissis. At Gallorum viribus *Tandem occupatur.* Anno M D LII. redintegratis, Busca in eorum venit potestatem, postquam Brisacius Marescallus 4000. Gallorum, 3000. Helvetiorum, 1200. Italorum peditum, nec non 1015. equitum exercitum, cum 18. majoribus tormentariis machinis ad eam obsidendam duxisset; statimque Castella duo, ad loci tutelam olim in summo clivo ædificata, quæ oppugnatoribus negotium facessiverant solo tenus disjecta sunt. Nec hìc ruinarum finis. Nam dum, exstincto Victore Amedeo I. Sabaudiæ Duce, tota Subalpina regio bellis civilibus æstuaret, ac Thomas à Sabaudia Princeps, cui Buscæ dominium Caroli Emanuelis, itidem Ducis, Genitoris sui dispositione obvenerat, vereretur, ne eà potiti Galli totam inde, sibi ipsi obtemperantem, viciniam infestarent, difficiliùsque postmodum ex ditione Sabaudica pellerentur, propugnaculis *Munitio nes nunc est nulla.* omnibus, mœnibusque ipsum omninò nudavit Oppidum, adeò ut nulla alia nunc superstit munitio, quà se Oppidani ab hostilibus incursionibus tueantur, præterquam in brachiis, & lacertis.

Restant tamen adhuc eæ, quibus fidere tuto licet, ædificiorum divino *Templa.* cultui dicatorum munitiones: Ecclesiæ videlicet S. Mariæ de Busca, Pagorumque olim à Busca dependentium Tarantasiæ, atque Casteleti Parochiales. Restat Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia ab Anno usque M CCCC XC. fundatum Cœnobium extra muros, cum peramplo magnificæque structuræ Templo Virgini Deiparæ nuncupato, in quo elegantia admodum Sacella sub invocatione Annunciatæ, Assumptæque Virginis, Apostolorum Petri & Pauli, Ioannis Euangelistæ, Stephani Protomartyris, Laurentii Martyris, Sanctorumque Sebastiani, Caroli, Luciæ, Catharinæ, Antonii Abbatis, ac Didaci Confessoris pietatem ostentant, & liberalitatem familiarum de Achaia, sive Morea, de qua superiùs factus sermo, de Malerba, Margaria, Gambarana, Castiloneis, Galeanis, Signoriliis, Grimaldis, Rivairis, Piolis, Gallis, quæ iisdem Sacellis struendis, ornandisque sumptus necessarios contulerunt. At præter hæc, duo alia eodem in Templo posuerunt, peculiarique cultu quotidie prosequuntur non pauci utriusque Sexûs Christi fideles, Sanctissimi Rosarii, Divique Francisci Sodalitiis adscripti. Cæterùm hoc Observantum Monasterium Re- *Monasteria.* ligiosorum viginti capax, hortis, pratis, viridariis, vinetis auctum, nemoribusque, felicissima gaudet Cæli temperie, Monachos morbis alioqui insanabilibus ægrotantes ad pristinæ sani-

ſanitatis ſperi revocat, robuſtioresque ad ignotum huic ſæculo ætatem perducit, hc teſtante oculato teſte Paulo Britioex ejus inſtituti Monacho, Albeni Epiſcopo in ſuis Seraphicis D. Tomæ Provinciæ monumentis.

At ex Opidi regione in ſummo collis ponè minentis vertice, unde in totam Orm Pedemontanam latiſſimus & latiſſimus eſt proſpectus, ſpectare licet noſtro ævo fundatam Eremum Camaldulenſium Aſcetarum, locum ſcilicet divinarum rerum contemplationi, exhilarandoque mirificè aptum animo, dictum vulgò *la Madonna di Belvonte*, ubi olim Deiparæ Virginis ſacra ædicula, quæ Albenſibus D. Mariæ Magdalenæ ſuberat Monialibus.

Inſunt præterea Oppido quatuor Laïcorum in publicis proceſſionibus incedentium cum Cruce, & habitu, Oratoria: inter quæ id, quod ante quadraginta circiter annos conſtructum eſt ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, excipiendisque, ac fovendis pauperibus deſtinatur, eo eſt ſitum loco, ubi quondam unum ex duobus, quorum ſupra meminimus, Caſtrum ſteterat, paucis, vel in magnis Vrbibus ſitis, ſimilibus ædificiis cedens amplitudine & venuſtate. Nec deſideratur piarum Mulierum, quas Humiliatas vocant; Sodalitas, inſtituta non ita pridem: Cæterùm, ſicuti olim Buſca, annexæque eidem Parœciæ in ſpiritualibus ſuberant Archiepiſcopo Taurinenſi, ita ab Anno MDXCII. addictæ ſunt Diœceſi, tunc recenter erectæ, Epiſcopi Foſſanenſis. *Laïcorum Oratoria.*

Isla Isara

Magra Flumen

BVSCA.



INDEX & ORDO TABVLARVM
PARTIS PRIMÆ.

TItulus Pedemontii.
Insignia Regiæ Celsitudinis Ducis Sabaudiæ.
Effigies Reg. Celsit. Caroli Emanuelis II. d
Effigies Reg. Celf. Mariæ Ioannæ Baptistæ. e
Tabula Genealogica Regiæ Domus Sabaudicæ. k
Pedemontii tabula Geographica. *Pag.* 6
Augusta Taurinorum. 16
— ejusdem Prospectus. *ibid.*
— ejusdem Obsidio. *ibid.*
Plateæ veteris ante Castrum prospectus. *ibid.*
Platea Regia. 18
Regiæ Bibliothecæ, Equestris Academiæ veteris Castri prospectus. *ibid.*
Propugnaculum cui *viride* nomen. 20
Musæi *vulgò* la Galleria prospectus interior & exterior. *ibid.*
Palatium Publicum Augustæ Taurinorum. 22
Palatium Publicum Augustæ Taurinorum cum foro Olitorio. *ibid.*
Turris publica Vrbis Taurini. 24
Scenographia & ichnographia Ædis Regiæ Sacr. Sindoni dicatæ. 26
Ecclesiæ Taurinensis cui *Corpus Domini* nomen facies exterior. 28
— ejusdem prospectus interior. *ibid.*
Sacra Ædicula. *ibid.*
Porta Nova sive Victoria. 30
Augustæ Taurinorum ingressus per portam Eridani. *ibid.*
Porta Eridana. *ibid.*
Acropolis Taurinensis. 32
Quadratum Ædificium Civitatem spectans & Puteus Acropolis Taurinensis. *ibid.*
Valentini Ædes. 34
— ejusdem prospectus versus Eridanum. *ibid.*
Capuccinorum supra Padi Ripam Cœnobium. *ibid.*
Basilicæ FF. Capuccinorum in Eridani margine prospectus interior. *ibid.*
Vinea Montana. 36
Vinea Transpadana. *ibid.*
Millefiorum ad Septentr. prospectus. 38
— ejusdem ad Merid. prospectus. *ib.*
Parcus, sylvosum Sabaudi Ducis Prædium. 40
Regiarum Venationum Ædes Regiæ. 46
— Earundem prospectus alter. *ibid.*
Fons Herculeus. 48
Fanum Dianæ. 50
Sacra Eremus Ord. Camaldulensis in Montibus Aug. Taurin. *ibid.*
Carthusia Augustæ Taurinorum. *ibid.*
Montis Calerii castrum. 52
Ripularum Oppidum. 54
Ripulæ. 56
Templum & Monasterium S. Michaëlis Archangeli. 58
Iavenni descriptio tantum. 59
Avillianæ Oppidum. 62
Camaldulensium ad Lancei Oppidum Eremus. 64
Secusium. 70
Arcus Marmoreus Secusii. 72
Arx S. Mariæ in Lucernatum valle. 74
Cherium Civitas. 78
Ripæ Oppidum. 80
Pecetti Oppidum & Castrum. 82
Castilionis Oppidum. 84
Ciriacum *vulgò* Cirié. 86
Clavasium *vulgò* Chiavasso. 88
Carmagnolia. 91
Carmagnoliæ ejusque vicorum descriptio. *ibid.*
Carinianum *vulgò* Carignan. 92
Raconisium. 94
Savilianum. 100
Eporedia *vulgò* Ivrea. 104
Alladiense Palatium. *ibid.*
Villæ Frontensis in Canapicio descriptio tantum. 105
Sancti Georgii Castrum. 108
Salutiarum Civitas, *vulgò* Saluzzo. 112
Revellum. 114
Mantæ Oppidum. 116
Verzolium Oppidum. 118
Draconerium. 120
Busca. 122

